ANGELI DALLA DECIMA

IN PATAVINO ARCHIGYMNASIO

MATERIAE MEDICAE PROFESSORIS EC

DE

FACULTATIBUS REMEDIORUM

RECTE INVESTIGANDIS

SPECIMEN



VENETIIS

TYPIS PICOTTI

1813

ANGELUS DALLA DECIMA

JUVENIBUS ITALIS MEDICINAE STUDIOSIS

S. D.

Etsi in remediorum studio plurimam operam clarissimi cujusque aetatis medici insumpserunt, tamen quum illorum diligentia in eo potissimum contendisse videatur, ut novarum rerum adjectione doctrinae limites proferrent, quam ut sedulis pervestigationibus eorum, quae invecta erant, facultates ex omni parte introspicerent, et maxime emendatas, atque correctas ad Naturae praescriptum, non ex opinionum commentis, aut ex animi impetu definirent; inde confectum est, ut alia aliis superobruerentur, et quae medicamina usus vetustate magis probata esse oportebat, ea paulatim obsolescerent, et aliis eidem in posterum fato obnoxiis locum concederent. Multi quidem et majorum memoria, et nostra fuerunt, qui satis copiose, atque docte remediorum historiam naturalem, et medicam persequuti sunt: at valde pauci, qui in illas caussas, ex quibus ejusmodi vicissitudines, ac varietates proxime extiterunt, sedulo inquisiverint. Quae investigatio cum ad discutiendam illam caliginem, qua remediorum doctrina circumfusa adhuc est, atque obsita, et ad magis firmum ipsius scientiae

incrementum non mediocriter conferat; idcirco, undique etiam succrescente in dies singulos novorum medicamentorum numero, operae pretium facturum me esse judicavi, si illam breviter perstringerem, atque hac de re aliquam quasi doctrinae adumbrationem in vulgus emitterem, ut viam generatim praemonstrarem, qua istas latebras, atque lucis impedimenta, egregii juvenes, qui in Medicinae studium naviter incumbitis, declinare valeatis. Itaque hanc meam qualemcumque lucubrationem in vestram gratiam, atque utilitatem compositam vobis offero. Accipite jam eodem animo, ut omni tempore facere consuevistis, novum hoc meae erga vos benevolentiae specimen, et bene valete.

Patavii XIII. *Kal. Maj. A. S.* MDCCCXIII.

ORATIO

Cum adeo misera, atque luctuosa sit hominnm conditio, ut prope innumeris corporis aegritudinibus conflictentur, sequitur, ut omni tempore illarum rerum investigationi sedulam operam navarint, quibus et morbos ingruentes furentesque depellerent, et vita, quoad per naturae scitum atque statutnm fieri licet, incolumi longissimaque fruerentur. Itaque in hoc studii genus acri animo incnmbentes ingentem remediorum segetem collegerunt; unde paulatim amplissima extitit disciplina, ita tamen densis tenebris, opinionibus adversis, ridiculis religionibus, fictis qne fabulis referta atque stipata, ut quam doctrinam anxie ad suam salntem quaesiverant, illam ad interitnm potins sibi confinxisse homines viderentur.

Enimvero alii in ejusmodi quaestionibus effectuum contemplatione innixi res illas notare consueverunt, ex quibns certa quaedam aliquando utilitas permanasse visa erat. Alii contra singulare istud nimiumque molestum studium fastidientes in universam rerum naturam immanem impetum fecerunt, illamque

ferventis, moraeque impatientis ingenii imperio subjicere studuere; indeque paucis vagisque observationibus contenti, ex istis cetera ad clariores suae aetatis opiniones accomodarunt: quare plurima angusto spatio comprehendentes amplissimam atque difficultatis plenissimam disciplinam et planissimam reddere, et brevi, atque generali quodam studio coercere conarentur.

Atque duae istae rationes etsi una conjunctae, summaque diligentia adhibitae mutuam sibi opem praestant, ed ad *Materiae Medicae* incrementum, atque amplitudinem non mediocriter conferunt, tamen si iisdem sejunctis, oscitanterque, et parum attente utamur, non mediocri vitio laborant, atque minus cautis aditum satis amplum ad errores patefaciunt.

Quae cum ita sint, operae praetium arbitratus sum viam quodammodo adumbrare, qua de remediorum facultatibus caliginem dissolvere, et a fallaciis declinare valeamus. Veruntamen ut eo facilius obscurae hujus quaestionis latebrae introspiciantur, priusquam normas de facultatibus remediorum recte investigandis tradere aggredior, praestat summas, atque principes illorum errorum caussas brevi oratione perstringere.

Principio remediorum facultates vel casu, vel proposita investigatione patuere. Quamobrem cum ali-

qui homines vel siti, vel fame, vel aliqua alia molestia vexati perturbato quodam naturae impulsu permoti, ut illa arcerent incommoda, liquorem aliquem, vel herbam, vel aliud quodlibet eorum, quae sibi praesto erant, etsi nondum cognitae virtutis, ac indolis, inconsulte, nulloque habito delectu, assumpserint, indeque aut vomitum, aut alvi ejectiones, aut urinae profluvium, aut sudorem, aut calorem, aut aliquid aliud sive bonum, sive malum extitisse praeter expectationem observaverint, ad ejusmodi exitus animos attendentes res illas istiusmodi virtutibus praeditas esse judicarunt. Neque dissimilis est judiciorum ratio, quae consequuntur novos ex rebus alias adhibitis effectus, cum postea quaedam alia res cum illis conjuncta detegitur, cui omnis illius effectuum varietatis caussa refertur.

Multiplex autem est incitamentorum genus, a quibus identidem homines adducti sunt, ut quarumdam rerum de industria periculum facerent; scilicet odor aliquis, color, figura, caritas, aut aliae qualitates, quibus sensus ita afficiebantur, ut animi attentionem maxime allicerent, tum etiam ipsae rerum aut verae, aut ex mentis errore confictae similitudines. Praeterea et ex eorum consideratione, quae a ceteris animantibus naturae impulsu fieri conspiciuntur, nonnullas remediorum facultates homines aliquando sciscitatos esse plurimi veterum rerum scriptores retule-

sunt. Sed et quasdam rerum imagines per somnum, menti obversantes interdum istorum periculorum caussam attulisse constat ex aegrotorum historia, quibus in templis olim decumbentibus, animo corporis aegritudine percito, salutis spe excitato, in somnis videbatur Deos videre, qui illos condocefaciebant, ut certis quibusdam rebus uterentur. Ita initio definitae remediorum facultates usu deinceps et consuetudine eo majorem auctoritatem assequutae sunt; et quamvis adhibitorum remediorum effectus saepenumero a praecepta opinione abluderent, nihilo secius illorum existimationi sustinendae sufficiebat, si quando quae contingebant, illas facultates aliquo modo mentirentur.

Inde factum est, ut multa incerta, falsa, a fide plane abhorrentia, a ratione remota in hanc medicinae partem irrepserint, diuque steterint. Quae res eo majore admiratione digna prima fronte deputanda profecto esset, quod remediorum scientia et maximi omnes homines interest, et observationibus contineatur in aperto positis, quibus et docti et indocti aeque sufficere videantur. Itaque olim sagis quibusdam verbis, misticis litteris, aut aliis notis anulo insculptis, rebus absurdis, aut plane inertibus e collo appensis magna adversus morbos potestas tribuebatur. Atqui nihil est, cur miremur, si istis fidem adhibuerint homines agrestes, ac politioris humani-

tatis omnino expertes aetatibus illis, quibus universus prope orbis teterrima tenebrarum caligine obruebatur, ita ut, vel si qua lux aliquando affulgeret, eadem summis ignorantiae impedimentis irretiretur; cum et nostris hisce temporibus multos vafros planeque indoctos homines videamus, qui remedia sua ad omnes prope morbos satis magno fabularum apparatu instructa tenent, ultroque efferunt, et credulis aegris objiciunt. Qamobrem decursu temporis vel ipsi litterati viri, qui majorum suorum inventa undique colligere, scriptisque mandare statuerunt, sexcenta ejusmodi portenta hauserunt, atque evulgarunt. Ita Cato in opere illo, quod inscripsit *de Re Rustica*, luxatis mederi ait voces quasdam obscuras, atque sensu omnino vacuas. Ita Plinius gagatem suffitum vitiatam virginitatem prodere affirmat: Dioscorides autem lapidem aetitem fures. Sed et post instauratas litteras aliqui non mediocris auctoritatis scriptores fuerunt, qui referre non dubitarunt ex eodem lapide e collo appenso, aut illum prae manibus, aut in quavis alia corporis parte gerendo, homines et ditiores fieri, et omnibus gratos, ita ut vel ipsa pulcherrima Venus in illos insano amore aestuare cogatur. Adde, quod Olaus, et Valeriola ex suis sibi periculis, nedum ex multorum aliorum observationibus lapidem eundem ita adhibitum et adversus abortum, et ad pellendum jaetum valere dicunt, prout vel huic vel illi corporis

parti alligetur. Qnid de gemmis, atque margaritis dicam, quibus egregiae summaeque vires adversns morbos ad hanc prope nostram aetatem assignatae fuere? Nimium profecto operam abnterer, si omnes hoc genns futiles opiniones persequi vellem, quae per multa saecula vel apnd clariores medicos de remediorum virtutibus summopere valnerunt. Ista tamen nullum in praesentiarum nobis facessere negotium queunt, cum in rebus versentur adeo absonis, atque absurdis, ut in tanta disciplinarum omnium luce nemo, qui vel primoribus labris medicam scientiam attigerit, suae esse mentis depntetur, qui adducatnr, ut iisdem fidem aliquam adjungat. Atqui longe majus periculum ex iis, quae cum a sola minus attenta observatione ortum duxerint, tum nihil inepti continent, quare ipsis etiam doctis, catisque viris fucum identidem facere potuernnt.

Cum veternm medicornm libros legendo percnrro, omne illornm de remediis studinm in eo praecipue positum fuisse mihi videtnr, ut eorum, quae de singulis medicamentis, sive de ipsorum facultatibus prodita erant, notitiam acquirerent, ac aliis traderent, nnllam autem operam dedisse, ut illas facultates, periculis dedita opera sedulo institntis, probarent, atque vera a falsis secernerent. Neque sententiae nostrae adversantur aliqnae illorum tempornm narrationes de nonnullis ex istis facnltatibus satis per plures

observationes probatis, neque casus a Galeno relatus de puero illo, a quo Peoniae radix usque eo morbi comitialis, quo conflictabatur, accessionem arcebat, dum ex illius vel inscii collo appensa detinebatur. Ista enim et pauca sunt, et minus accurate gesta. Namque cum eadem remedia a diligentioribus medicis adhibita fuere, plerumque longe diversum exitum habuerunt: atque ipsum Galenum observationem illam suam de Peoniae radice parvi pendidisse ex eo patet, quod inter auxilia, quae alibi adversus morbum comitialem praescribit, nullam radicis illius mentionem faciat.

Atqui revocata post diuturnam, densisque tenebris obsitam noctem litterarum luce, imminuta aliquantulum, per chimicorum audaciam, vesanosque clamores, Galenicorum auctoritate, acutae Baconis de Verulamio animadversiones, et philosophica Cartesii dubitatio certam naturalium quaestionum studiosis viam praemonstrarunt, qua in suis inquisitionibus ad veritatem perducerentur. Attamen principio nihil, meo judicio, magis ad sedulitatem in observando contulit, quam veterum scriptorum, et praesertim Dioscoridis negligentia, atque obscuritas. Etenim dum undique plures medici, atque naturalium rerum cultores summa ope nisi sunt, omni inquisitionis genere adhibito, ac multis magnisque itineribus dedita opera vel per aspera loca confectis, ut il-

lorum Auctorum mentem assequerentur; non solum utrasque illas disciplinas medicinam, et praesertim naturalem historiam plurimis inventis locupletarunt, verum etiam studiosos magis in observando cautos, magisque ad investigandum curiosos effecerunt. Itaque maxime hac in re primo illo aevo laborarunt Valerius Cordus, Fabius Columna, Tabernamontanus, Clusius, Gesnerus, fratres Bauhini, aliique quos brevitatis caussa praetereo.

Ista vero perscrutandi, atque observandi solertia paulatim abiit in artem, quae eo accuratior ac magis emendata evasit, quo longius in caeteris disciplinis, et artibus hominum ingenia processerunt. Atqui longe abest, ut omnibus numeris absoluta sit, ita ut nihil amplius in ipsa desideretur: quin etiam adeo perplexa, parumque firma adhuc sunt pleraque eorum, quae ad remediorum notitiam pertinent, ut illa doctrina sua ipsa redundantia labascere, ac pene corruere videatur. Quam multa enim adhuc adversus singulos morbos veluti certa auxilia designantur in iis remediorum collectionibus, quae in dies singulos in lucem prodeunt! Quantis laudibus nonnullae virtutes saepe extolluntur, ac quibus jam testimoniis, et quam multis maximae solertiae atque cautionis speciem praese ferentibus periclitationibus, atque observationibus fulcitae efferuntur, quae postea, attentiore effectuum animadversione, nequaquam

cum veritate consentire deprehenduntur! Quanta potestas memoria nostra tributa est sublimato corrosivo, lacertae viridi, acido nitrico adversus luem veneream; moscho, mercurio, Meloi Proscarabaeo adversus hydrophobiam; calci, uvae ursinae, acido carbonico adversus lithiasim; arnicae, et pulsatillae nigricanti adversus amaurosim; cicutae adversus cancrum, floribus zinzi adversus epilepsiam! Quot ex istis sanationes relatae sunt, atque evulgatae! Quanta diligentia facta fuisse pericula affirmatum est a quam fidis viris, a quam eximiis! Attamen paulatim maxima istorum remediorum existimatio vel plane corruit, vel admodum imminuta est.

Cum medicinae addiscendae operam navarem, mirabar summos aliquos viros, qui in medicina facienda aetatem consumpserant, valde meticulosos, et quasi suspensos in remediorum praescriptione morborum cursum observare, paucisque remediis, atque vulgatioribus uti. Quamobrem cum primum meo arbitratu agere caepi, nimium iis fidens, quae a clarissimis Auctoribus emissa fuerant, omnes pene morbos certo, facileque sanari posse existimabam. Itaque juvenili audacia morborum curam aggrediens interdum, aut quod fortuito in utiles naturae concitationes per admotum remedium incidebam, aut ex aliqua alia haud animadversa caussa, miram aliquam sanationem instar portenti obtinebam, unde et eo magis mei tol-

lebantur animi, et non mediocris mihi ignari vulgi accedebat existimatio. Veruntamen cum plerumque res longe aliter evenire, et in pejus ruere conspicerem, id initio aegrotantium, operariorum, et pharmacopolarum malitiae, vel negligentiae, quam nonnumquam summam esse cognoveram, vitio vertebam. Nihilominus postquam, maxima etiam sedulitate adhibita, remedia, quae ad hunc illumve morbum veluti certa, nullamque prorsus dubitationem habentia clarissimi aliqui viri scriptis suis celebraverant, longe diversos effectus edere animadverterem, nam modo noxia, modo irrita, modo utilia quidem, at neque perpetua, neque tanti momenti, ut praedicabatur, apparabant; et morbos illos ad sanitatem nonnisi longis ambagibus, et quasi tentando perduci potuisse intelligerem; de illis auctoritatibus diffidere caepi, et paulatim eadem ipsa mihi incessit formido, quam olim summis, ac diligentissimis viris ipse meeum exprobabam. Quam rem mihi attentiore animo consideranti, illarum narrationum vitium ex triplici caussa proficisci visum est, vel quod nonnulli historias magna ex parte fictas data opera evulgarunt, ut et inanem vulgi medicorum rumorem aucuparentur, et a primis illarum opinionum auctoribus gratiam inirent; vel quod hoc quaestionis genus adeo difficile, adeo involutum, adeo salebrarum plenum est, adeo multis, adeo subtilibus, adeo lubricis principiis

illigatur, ut nulla nos admiratio capiat oporteat, si non solum ignavi, atque leves, sed et plerique industrii, ac non indiligentes investigatores ab omni latitantium scopulorum asperitate haud satis sibis cavisse videantur; vel quod plures viri et ingenio, et doctrina praestantes longioris laboris pertaesi, aut praecepta aliqua opinione, vel generali doctrina occupati singulas periclitationes, atque observationes per vim ad illam doctrinam accomodare studuerunt.

Enim vero neminem latet, quam multi, et superiore aetate, et nostra fuerint, qui aut intemperati obsequii caussa, aut inanis gloriolae spe freti, aut aliqua alia utilitate sibi proposita, praecipites, atque ineptas fortuiti alicujus, neque satis explorati casus interpretationes, vel etiam fabulas sola mente compositas ad veri speciem exornarunt, atque pro veris, penitusque certis impudente sane audacia in medium protulerunt. Atqui pudet memorare plures clarissimos medicos illico has nenias avide hausisse, plausuque suo fovisse, immo vero ipsos aliquando maximae auctoritatis viros in iis libris, quos ad juvenes in remediorum doctrina instituendos composuerunt, illas sedulo excripsisse, ita ut auctorum nominibus eorum scripta referta sint, quare plus in legendo studii, quam in auctoritatibus perpendendis, recteque aestimandis solertiae adhibuisse videantur. Itaque istae fallaciae longe lateque diffusae, atque haud meritam

celebritatem adeptae quandam identidem noctem remediorum scientiae offuderunt, ac illius progressibus non mediocriter offecerunt.

Ipsis porro vel ut cum maxime veri studiosis, atque industriis medicis multiplex errandi caussa fuit, scilicet fraudes, aut ignavia tum pharmacopolarum, tum aegrotantium, tum eorum, qui aegrotantium curae praeficiuntur; perturbata, inconcinna, aut praepostera remediorum administratio; aegrorum peculiaris naturae, aetatis, virium, consuetudinum, tum etiam rerum externarum communium negligentia; immanis in medicina facienda occupatio; minus attenta morbi consideratio; generalis facultatis aestimatio ex remedio adhibito aut in homine sano, aut in aliquo morbi casu, aut in alio animantium genere, aut in parte ab animali divulsa. Atque ut morbos ab aegris aut malitiose, aut mentis errore simulatos praeteream, valde pauci certe aegri sunt, praesertim inter illos, qui in nosocomiis, ubi maxima hujusmodi periculorum pars fieri solet, decumbunt, qui medicos adeo vereantur, ut dicto ipsis plane audientes esse velint, atque eorum praecepta negligere, ac ab illis vel transversum unguem discedere et temeritatis, et periculi plenissimum fore arbitrentur. Quid de curationum ministris dicam, de custodibus, de operariis? Quotus enim quisque eorum est, qui ita suum aegrum in oculis ferat, ut munus suum

quam plenissime exsequatur, nulli diligentiae, nulli labori parcat, aegro assidue adsit, illum semper observet, omnia ad medici praescriptum agat, omnia naviter animadvertat, sedulo notet, ac omnium certiorem medicum faciat? Neque vero ista nimia deputanda sunt, nam eorum negligentia satis amplam errandi occasionem in aestimandis remediorum facultatibus praebet.

Quod vero ad pharmacopolas spectat, mirum quantum hoc hominum genus partim inscitia, partim ignavia atque socordia, partim nimia lucri cupiditate peccet! Etsi enim aliqui omni tempore fuerunt et animi integritate probatissimi, et doctrina, perspicacitate, solertia, diligentia praestantissimi; tamen multo maxima pars ad hanc prope diem longo usu in artis tractatione ad veterem disciplinam versata, et suis margaritis, suo *bezoar*, sua *mumia*, sua *ungula alcis*, suis absonis compositionibus sibi plaudens, rebus novis infensa, ac ex horrida antiquitate quandam hiulcae scientiae speciem petens multa suo arbitrio pro re nata agere non dubitavit: neque vero in praesentiarum, sublata jam magna ex parte antiqua illa asperitate, adhuc ab ejusmodi licentia cessatum omnino est. Itaque non pauci suo marte medicorum praescriptis modo addunt, modo subtrahunt, saepius in locum eorum, quibus carent, alia sufficiunt: ac ne jacturam ullam faciant, res aut qualita-

te deteriores, aut conditione pravas, labefactatas, corruptas offerre non dubitant; quibus pro arbitrio gerendis non mediocriter favet ipsa ex cognominum similitudine confusio. Nemo enim ignorat remedium illud, quod magnesiam medici appellant, valde diversa ratione parari, quare alia satis pura est, neque alienis rebus inquinata, alia vero cum quadam neque certa calcis copia permixta. Atqui magnesia, et calx viribus medicis non mediocriter inter se pluribus in rebus differunt; indeque fit, ut magnesiae istae non plane iisdem virtutibus instruantur. Adde, quod eadem purior magnesia ex sale Epsomensi educta saepenumero propter negligentiam in ea aut exurenda, aut asservanda cum quadam modo majore, modo minore copia acidi carbonici consociatur, quod cum ab aliquo potentiore stomachi acido ex illa societate extricatur, turbas creat, quarum perperam minus attenti, minusque chemicarum rerum periti praeposteram medici praescriptionem insimulabunt. Adde plures chinae varietates. Adde varietates Rhabarbari, Semencinae, multorumque aliorum remediorum, quae eodem nomine designantur. Praeterea quanta varietas in iis medicamentis, quae ab ipsis pharmacopolis ad praescriptas normas conficiuntur tum propter istarum normarum differentiam, tum propter diversam in eorum confectione sedulitatem, atque solertiam! At enim istae remediorum varietates non

facultatum qualitate, sed virium tantummodo magnitudine differunt, ita ut istarum debilitati aucta remedii copia supplere possit. Ita omnes istae Semencinae intestinorum vermibus adversantur, omnes varietates Rhabarbari alvum dejectione purgant, Chinae omnes ad febres intermittentes valent, et sic de caeteris. Quae etiamsi vera omnino essent, tamen saepissime non apta adhibiti remedii quantitate peccaretur, nam et medicorum in scrutanda remedii conditione aut otium propter aegrotorum, quorum curae operam navant, multitudinem, aut consuetudo, aut ingenium deficit, et ipsos pharmacopolas aut omnes ita in remediorum cognitione esse versatos, ut optima omni tempore seligant, aut eorum plerosque ita lucrum parvi pendere, ita aequo animo jacturam pati, ut ex medici praescripto optima praebeant, quae vero vel corrupta sunt, vel deteriora, vel infirmiora, omnino rejiciant, aut de eorum conditione sollicite medicum admoneant, haud verisimile est. Inde nullam in praescribenda remedii copia normam haberi posse facile patet: ac inter omnes constat idem remedium in eodem homine, atque morbo adhibitum sola copiae differentia alias alium exitum habere. Huc accedit, quod affirmari nequaquam potest istas remediorum varietates sola virium magnitudine differre. Quis enim ignorat Chinas, quibus medici uti solent, praeter communem adversus febres intermit-

tentes potestatem, aliquam aliam saepenumero medicam virtutem continere pro chinarum varietate diversam? Itaque China *Calisaya* miras turbas in nervis plerumque excitat, quare in stomacho quaedam aegritudo, ac aliqua quasi titillatio, in auribus susurrus ac surditas, in mente stupor atque confusio existunt: China autem *rubra* magna astringendi potestate instruitur. Quapropter earum primam aegrius ferunt ii, qui exquisitiore nervorum sensu pollent, et facilius ex admotis stimulis commoventur; secundam autem ii, qui sunt aut nimium rigidis partibus praediti, aut ad dysuriam, stranguriam, iscuriam proclives.

Sed praeter tantas istas, quas adhuc exposui, difficultates longe majores, ut arbitror, illae sunt, quae oriuntur vel ex praepostero illorum judicio, quae ex alicujus rei sive usu, sive periclitatione fieri aliquando cernimus aut in homine quadam peculiari natura, atque conditione praedito, aut in aliquo alio animantium genere, aut in parte ex animali divulsa; vel ex neglecta aut aeris, aut naturae morbi, aut istius diversorum temporum consideratione; vel ex ipsa remedii, de cujus facultatibus quaeritur, cum aliis rebus societate.

Aliqui profecto fuere summae auctoritatis viri, qui in partibus vita carentibus aut ex homine, aut ex alio animali ablatis pericula de nonullis rebus fecerunt,

quamobrem certas quasdam illarum facultates cognoscerent. Huc pertinent praesertim periclitationes clarissimi Pringlii de antisepticis, scilicet de illis remediis, quae carnium, sanguinisque putridae corruptioni obsistere existimantur. Quae inquisitionis ratio aliquando quidem facem ad remediorum cognitionem praefert, tamen quae inde fieri conspiciuntur, si inconsulte ad morborum pertractationem traducantur, non rara errandi occasio orietur. Etenim vis vitae medicamentorum in partes vita carentes potestatem quodammodo moderatur, cui accedit etiam eorum cum rebus, quas inter vias offendunt, temperatio. Praeterea istius potestatis effectus partibus, ad quas remedia illa proxime admoventur, definiuntur, quare perperam eosdem ipsos in universum corpus fundi ex ejusmodi periclitationibus putaretur. Ita camphora, quae ex illis Pringlii periculis inter antiseptica eminet, si partibus ex labescente vita ad putredinem vergentibus imponatur, putredinem illam arcet; verum tantum abest, ut in dissitas partes, atque in universum corpus virtus illa feratur, ut aliquando cum interius sumitur, si aut sanguinis redundantia, aut inflammatoria conditio, aut in stomacho humorum corruptio adsint, maxima identidem mala, et putrida sanguinis labes consequantur. Quod si in nonnullis morbis, quae putridam corruptionem minantur, camphoram interius sumptam la-

bem illam arcere, et morbo mederi aliquando deprehendimus, id non illa vulgari antiseptica facultate, sed peculiari sua in nervos actione efficere putandum est.

Major quidem utilitas percipitur ex rebus in nonnullis animantium generibus vario modo adhibitis: atque hanc medicas facultates explorandi rationem plurimi clarissimi viri sequuti sunt, Baglivus de cantharidibus, Menghini de camphora, Meadius, Bergerius, Fontana de opio, aliique multi. Veruntamen neque ista ita certa sunt, ut iis omnino fidere, atque in iis solis prorsus acquiescere debeamus. Nam cum non eandem vitae vim diversis animantium generibus natura tribuerit, et cum ob diversam illorum constructionem ipsa eadem vis per eorum partes diversa ratione dispertiatur, sequitur, ut ex rebus externis diverse afficiantur, ita ut alia prae aliis ejusdem rei usum aegrius, vel facilius ferant. Sic canes majorem opii copiam, quam homines tolerant, uti ex pluribus clarissimorum virorum observationibus patuit; feles ex odore mari in miras concitationes incidunt; psittaci a petroselino necantur; sturnis, atque nonnullis aliis animantibus cicutam innoxiam esse ferunt, unde illa Lucretii carmina:

Quippe videre licet pinguescere saepe cicuta
Barbigeras pecudes, homini quae est acre venenum.

De summis differentiis, quae peculiari hominum natura, aut consuetudine innituntur, adeo multa adeo omnibus vulgata specimina habemus, ut supervacaneum plane judico in his considerandis moras nectere. Ita saepe fit, ut aliquis a certa quadam re longe diverse, ac caeteri, afficiatur, aliquis vero longo usu sine ullo conspicuo salutis detrimento tantam alicujus rei eximia virtute instructae, exempli caussa opii, aut cicutae copiam sumere queat, a qua ejus rei insueti citissime necarentur. Istae tamen differentiae non admodum magnum negotium in explorandis remediorum facultatibus facessunt, nam eas facile medici aegrotantes percontando cognoscere possunt, quin etiam plerumque sponte ab ipsis aegris admonentur. At non ita facile est abditam morborum omnium naturam cognoscere, atque alterum ab altero discernere. Multi enim morbi sunt, qui forma quidem satis congruunt, natura autem ut cum maxime differunt, at contra multi diversam speciem prima fronte praeferunt, quibus plane eadem natura est. Ista autem ignoratio in definienda remediorum potestate aditum satis amplum errandi patefacit. Nam non raro contingit, ut aliquod remedium non eundem effectum in omnibus morbis edat, et effectus isti non solum vi, quod creberrime accidit, verum etiam qualitate differant. Ita tartarum emeticum in certis quibusdam morbis facultatem vomitus ciendi penitus ammittere

videtur, et opium, quod sudori admodum favere compertum est, phthisicorum sudores potius cohibet, atque sistit. Praetereo jam illas virtutes, quibus nonnulla remedia ad certos morbos sanandos abdita quadam suaque propria actione maxime valere existimantur, quae proinde *specifica* appellari consueverunt. Etenim facile est intelligere ea exitus habitura diversos, si in morbis adhibeantur forma quidam similibus, at natura ab illo discrepantibus, cui actio illa est apprime accomodata. Inde illa Celsi sententia: *Non omnibus aegris eadem auxilia conveniunt. Ex quo incidit, ut alia atque alia summi auctores, quasi sola venditaverint, prout cuique cesserant. Oportet autem, ubi aliquid non respondet, non tanti putare auctorem, quanti aegrum, et experiri aliud atque aliud.*

Ambiguitatem porro eventuum valde auget neglecta temporum morbi, et aeris circumfusi animadversio. Veteres medici sapientissime morbos omnes breves a diuturnis distinxerunt, et primos cum vitae discrimine conjunctos *acutos*, secundos vero *chronicos* nominarunt. Exinde totum acutorum curriculum in quatuor partes, sive tempora diviserunt, quorum primum *initium* vocarunt, secundum *incrementum*, tertium *statum*, postremum *inclinationem* vel *terminum*. Neque vero in quovis morbi tempore eadem ab aliquo quodam remedio efficiuntur, neque saepenu-

mero ea, quae fiunt, dum morbus incipit, cum iis plane congruunt, quae contigunt, dum ipse aut increscit, aut consistit, aut minuitur, aut ad proximum interitum properat. Atque istius varietatis duas potissimum esse caussas puto; scilicet corporis in diversis morbi temporibus conditio diversa, et mutationes, quae sponte ex ipsius morbi natura eveniunt. Etenim initio morbi non eadem est corporis conditio, ac illo tempore, quo morbus aut consistit, aut ad exitum vergit, ac pro ista suae conditionis varietate corpus ab admotis remediis diverse affici fateamur necesse est. Quare remedii potestas cum iis concitationibus, quae ex natura morbi eo sui cursus tempore proficiscuntur, consociata tertiam quandam actionem componit, quae ad illam potestatem similitudine accedit, aut ab illa abest, prout ista praedictis concitationibus aut favet, aut adversatur. Ita aliquando si exigua *Kermes mineralis* copia, quae initio febris *gastricae* nullum conspicuum effectum prodere potis est, eo tempore capiatur, quo morbus consistit, et putrida materie stomachus turget, magnas atque valde salutares perturbationes gignit, nam et alvum tum vomitione, tum dejectione vehementer purgat, et postea sudorem satis copiosum movet. Quare sapienter Hippocrates dixit „ *Quo natura vergit, eo ducendum est per loca conferentia* „. E contrario Cantharides initio morbi alicui corporis parti impositae illam ru-

befaciunt, et exedunt, sanguinem commovent, vires excitant, vesicam inflammatione afficiunt, at ad finem morbi, fractis jam vitae viribus, nullam mutationem pariunt, ac ignavae penitusque inanes evadunt. Initio febris intermittentis, cum aegrotantes horrore ac frigore totius corporis, et molesta stomachi aegritudine, nausea, sitique vexantur, opium vomitionem creat; at cum febris consistit, aestum auget, immo vero non raro furorem parit; inclinata jam febre, somnum arcessit, et sudorem ciet. Naturales autem et propriae morbi mutationes facile minus cautis fucum facere queunt, quamobrem remedio attribuant, quod naturae morbi proprium est. Itaque si in pleuritide, cum morbus in salutem vergit decimotertio die a prima illius aggressione, perturbatio illa accidat, quae morbum jamjam per sudorem desiturum praenuntiat, et aliqua res prorsus iners capiatur, et exinde sudor existat, male sudorem hunc illius rei potestati medicarum rerum imperiti, inopinatis illis perturbationibus territi ascriberent. Jam vero multa sunt, quibus hoc pacto quaedam virtutes assignante fuere, quibus aut prorsus carent, aut quae longe ab illis absunt, quibus re vera pollent. Inde etiam conficitur, ut identidem res, quae perturbationes concitarunt, morbum sanasse judicentur, quod valentior natura, suis viribus ordinato, ratoque processu evolutis, et noxae remedii obsistere, et morbum depellere po-

tis fuerit. Sed et quam saepe in cujusdam remedii actionem vertitur caussa alicujus eventus, qui ex aliis rebus, cum quibus illud remedium conjunctum erat, ortum omnino duxit! Quam saepe ex diversis remediis una mixtis res alia existit, cujus facultates ab illis differunt, quae singulorum illorum remediorum, antequam simul congrederentur, propriae erant! Ita opii potestas somnum adducendi minuitur ex ipecacuanhae societate, et copiosior inde sudor corpore manat. Tartarum emeticum ex sua cum chinae unione vim suam vomitiones creandi ammittit. Atque haec fortasse aliquando caussa fuit, quare in quodam morborum genere remedium aliquod vi diversa, atque solet, pollere nonnulli judicarint. Nam fieri potest, ut ex iis rebus, quae in stomacho nonnunquam versantur, remedii adhibiti potestas mutetur, quae mutatio morbi illius ingenio attribuatur, atque eam virtutem nonnulli latius producant, et eodem modo ad plures alios morbos pertinere putent, quos cum illo primo natura congruere falso arbitrantur.

Aer autem pluribus modis differre potest, nam modo plus aequo frigidus est, modo calidus, modo siccus, modo humidus, et praeter istas, quae sensibus plane patent, qualitates, plures alias res continet, quae pro sua varietate aeri illi aliam potestatem in hominis qua sani, qua aegrotantis corpus sufficiunt. Quare merito Boerhaavius inquit.„ *Aera igitur recte*

qui considerat chaos cogitat universale, in quo omnis ferme generis corpuscula simul confusa constituunt aggregatum diversissimis constans rebus: et Hippocrates,, *Considerandae sunt aeris conditiones, et quibus temporibus magis, aut minus contingant* ,, Aer quidem aestuosus incitat, frigidus fibras contrahit, robur corpori addit, attamen si frigus istud nimium fuerit, humores cogit, illorum motum sistit, a nervis sensum tollit, soporem proximae mortis nuntium adducit. Aer autem sicus caecam perspirationem auget, humidus illi officit. Itaque Hippocrates nonnullas sententias de hisce aeris conditionibus protulit, quarum auctoritatem plurium saeculorum observationes confirmarunt. Quare in septimo Sectionis secundae aphorismo dixit,, *Magnis ciccitatibus febres acutae fiunt*,, in aphorismo decimosesto,, *Per siccitates morbi tabifici, ophtalmiae, articulorum dolores, stillicidia urinae, et dissenteria*,, in aphorismo quinto,, *Si aquilonia* (tempestas) *fuerit, tusses movet, fauces exasperat, alvum indurat, urinam supprimit, horrores excitat, lateris et pectoris dolores facit*,, in aphorismo decimoseptimo ,, *Quotidianae tempestates aquiloniae cogunt corpora, firmantque, mobiliora, item et coloratiora, et auditu valentiora reddunt. Alvos praeterea exsiccant, et si dolor aliquis thoracem prius habuerit, exasperant*,, ad haec in eodem quinto, quem superius memoravi aphorismo,, *Auster*

auditum hebetat, caliginem visui obducit, caput gravat, membris tarditatem, et languorem conciliat" et in decimo sexto" *Morbi per assiduos imbres magna ex parte fiunt febres longae, alvi defluxiones, putredines, comitiales morbi, anginae*" et in decimoseptimo" *Tempestates austrinae corpora languida efficiunt, et humectant, auditum hebetant, caput gravant, vertiginem oculis, tarditatem, et languorem corporibus afferunt, et alvum humectant*" Praeterea *electricitas*, quae in aere continetur, pro varia sua conditione quasdam tum in sanis, tum in aegrotantibus, et praesertim in iis, qui exquisitiore sensu pollent, non mediocres certe concitationes, atque perturbationes gignit, etsi non tantas, quantas nonnulli novis rebus nimium studiosi arbitrati sunt. De facultatibus, quas aer a rebus, quas continet, mutuatur, nihil certe definiri potest, quippe cum res illae fortuitae sint, alias aliae, et plerumque in occulto latentes. At ex varia ejusmodi societate aeris conditionem mutari, illumque novas aliquas facultates adipisci, quibus vel magnas aliquando perturbationes in aegrotantis hominis corpore excitare valeat, nemo, ut opinor, inficiabitur. Atque ne subtilitatibus inhiare videar, ommitto illud in humanum corpus imperium, quod Soli, et Lunae Meadius aliique clarissimi viri tribuerunt. Hisce animadversis, facile patet, magnam omni tempore in remediorum praescriptione aeris ra-

tionem habendam esse. Etenim et, mutata corporis conditione, saepennmero ipsius remedii actio mutetur oportet, et praeterea concitationes, quae ex aeris ingenio existunt fucum facere minus cautis facile possunt, quamobrem adhibito remedio attribuant, quod illius aeris est. Atque ex diverso hoc aeris statu saepe fit, ut idem remedium modo vomitione, aut dejectione purget, modo sudorem cieat, modo urinam. Veruntamen ad aeris potissimum vicissitudines sedulum attendere animum debemus, nam quo majores istae sunt, et quo promptius accidunt, eo majores in humanis corporibus mutationes, ac perturbationes pariunt: unde illustres duae illae Hippocratis sententiae, „ *Mutationes temporum potissimum pariunt morbos, et in ipsis temporibus magnae mutationes aut frigoris, aut aestus, caeterorumque ad proportionem his respondentium*,, et alibi „ *In constantibus temporibus cum tempestive tempestiva redduntur, morbi constantes, et boni judicii fiunt: in inconstantibus autem inconstantes, et mali judicii.* „

Tantae istae difficultates, quibus septa, ac obvallata est remediorum pervestigatio, adeo diversae, atque inter se repugnantes clarissimorum virorum observationes, tam varii, tamque incerti remediorum exitus hanc cognoscendi recteque definiendi remediorum facultates, ac vires rationem maxime et longam, et asperam effecerunt. Itaque aliqui fuerunt, qui inge-

nio, et saepe etiam doctrinae varietate praestantes aliam ingressi sunt viam, qua et citius et melius sui voti compotes fieri arbitrabantur. Isti paucis, quin etiam aliquando vagis observationibus contenti omnia ad quasdam clariores suae aetatis opiniones accomodare, amplissimamque disciplinam quam maxime contrahere studuerunt.

Enimvero antiquitus cum medicorum principes omnes humani corporis partes ex quatuor humoribus constare judicarent, scilicet ex *bile flava*, ex *bile nigra*, ex *sanguine*, ex *pituita*, quatuor etiam remediorum genera statuerunt, quibus singulis sibi affinem humorem educendi munus demandarunt. Hinc longius progressi singulis corporis partibus, immo vero singulis prope morbis propria remedia praefecerunt, unde *cardiaca* extiterunt, *stomachica*, *hepatica*, *cephalica*, *splenica*, *emmenagoga*, *alexiteria*, *aristolochica*, *anthelmintica*, et sexcenta hoc genus alia.

At Methodici aliaeque medicorum sectae, quae magis generales doctrinas persequutae sunt, istas multiplices, atque peculiares obscuras virtutes penitus repudiarunt. Itaque Caelius Aurelianus ait „ *Quod neque alia jecinoris, alia lienis esse medicamenta recte senserint. Omnia enim omnium corporis partium sunt communia, quando simili fuerint adfecta passione. Regulantur enim sive diriguntur eorum virtutes non natura patientis loci, sed genere passionis ex-*

tentae, atque indultae pro modo morborum". Methodici vero ideo dicti sunt, quod duabus communibus medendi rationibus in omnibus morbis utebantur, altera in brevibus, altera in longis: istamque rationem *methodum* appellarunt. Triplicem autem statuerunt omnium morbornm, qui corporis universitatem afficiunt, naturam, scilicet relaxationem, constrictionem, et tertiam ex duabns illis conflatam conditionem. Inde tria exoriebantur omninm medicamentorum genera, alterum eorum, quae corpns laxant, alterum eorum, quae illnd stringunt, et tertium ex duobus illis compositnm, scilicet remediorum, quae partim stringunt partim laxant.

Galenus autem per quatnor illa rerum omnium, ut opinabatur, primordia diversi ordinis quatuor summis qualitatibus distincta, calore, frigore, siccitate, liquore, ita nt aliud modo plus, modo minùs calidum sit, seu potius calefaciendi potestatem habeat, aliud eodem sensu frigidum, aliud siccum, aliud humidum diversas medicamentorum facultates si minus vere, at satis facile explicavit.

Paracelsns universam de simplicibus medicamentis scientiam brevissimo studio complexus est. Enimvero in singulis istis remediis signum inesse dixit, quo conspicientibus suam virtutem produnt. Signum autem istud a remedii figura, forma, colore petere solebat, quas qualitates prout ad hanc illamve corporis

humani partem similitudine accedere arbitrabatur, ad ejusdem partis morbos remedium illud aptum esse judicabat. Hac de caussa qui hanc doctrinam sequuti sunt *Signaturistae* sunt appellati.

At cum Cartesii opiniones de rerum natura valere coeperunt, ipsae medicaminum facultates, atque actiones per materiam subtilem, ac per elementa diversi ordinis explicatae sunt. Interea temporis mathematicae disciplinae inclaruerunt, quare haud mora in medicinam quoque invectae sunt. Inde Medicina mechanica, hydraulica, geometrica facta est, indeque medici doctiores habiti ex varia minimarum partium figura et morborum varietates, et diversas remediorum actiones, et potestates explicare studuerunt.

Per illud tempus Chimici omnem in suae provinciae fines proferendos curam intendebant. Principio quidem audacia, vesanis clamoribus, et nonnullis vagis observationibus tota illorum scientia nitebatur, sed deinceps societatem aliquam cum mathematicis inire finxerunt, et demum cum physicis foedere icto, paulatim adeo viribus succrevere, ut et mathematicis bellum indixerint, illosque a male partis provinciis depulerint, et ipsos physicos suis servire commodis coegerint. Primo *effervescentiis* suis, suisque *acidis*, *alcalibus*, *oleis*, *phlegmate*, *spirituque* medicaminum vires explanare conabantur; quare sedulo

istorum suorum initiorum rationem in multis corporibus per ignem quaesiverunt. At hoc quaestionis genus cum penitus incertum, maximisque erroribus obnoxium esse intelligerent, ideo aliam ingressi viam initia illa, ex quorum unione res proxime existunt, cognoscere studuerunt, certis quibusdam, et pro re nata diversis corporibus adscitis, quae aliqua ex illis initiis, quae maxime diligunt, a caeteris divellunt, sibique adjungunt. Hanc investigandi rationem *analysim humidam* nominarunt. Ejusmodi porro analyses maxime comparatae sunt, quamobrem proxima rerum initia identidem detegamus; atque aptiorem viam ostendunt, quam in medicamentorum usu instare debemus. Qui vero ex hujusmodi quaestionibus medicas remediorum facultates sciscitati sunt, hi longe a veritate aberrarunt. Nam si aquas minerales excipias, rerum initia plerumque inter se strenue permiscentur, ita ut, quae res ex ista unione existunt, facultates praeferant longe ab illis diversas, quae singulorum initiorum propriae sunt. Quamobrem etsi istorum virtutes sedularum pervestigationum ope innotescerent, notitia haec admodum parum valeret ad facultates rei ex illis compositae divinandas, nisi eam esse partium corporis, quibus res illae admovendae essent, conditionem constaret, ut hinc novae, atque per accuratas observationes satis cognitae societates oriventur. Postea vero quam permultis in-

geniosis atque subtilibus inquisitionibus plures clarissimi viri, sed praesertim Halesius, Priestleyus, Cavendih, et Lavoiserius in vulgaribus corporibus delitescentes res aliquas compererunt, quae vinculis illis solutae aeris speciem sumunt, quibus propterea primo *fluidis aeriformibus* deinceps *gas* cognomen fuit, istarum doctrinam et ad corporis humani naturam, et ad diversas illius aberrationes, et ad remediorum facultates explicandas nonnulli Chimicarum opinionum studiosi ex more transtulerunt. Quamobrem cum ex quinque praecipue simplicissimis principiis corpus humanum constare, scilicet ex *oxigenio*, ex *azoto*, ex *hydrogenio*, ex *calorico*, atque ex *phosphoro*, morbosque fieri ex perturbata istorum naturali aequilibritate existimarent, remedia nullo alio pacto nisi illius aequilibritatis restitutione addendo, quod deficit, vel detrahendo, quod superest, sanitatem afferre posse judicabant. Inde remedia omnia in decem summa genera distribuerunt, quorum quinque imminutioni redundantium principiorum inserviunt, reliqua deficientium redundantiae. Praeterea unumquodque istorum generum in duo minora dispertiverunt. Etenim non omnia eodem modo principii alicujus aut deficientis, aut redundantis vitio occurrunt, sed alia illud vitium reapse tollunt, alia vero corpus tantummodo ad ejusmodi ablationem praeparant. Ita exempli caussa in oxigenii redundantia alia

remedia redundantiam illam minuere, et oxigenium ad naturalem aequilibritatem reducere valent, alia autem corpus ad hanc imminutionem, atque aequilibritatem aptius reddunt. Quae autem de oxigenii redundantia protuli, eadem et de illius inopia, et de similibus aliorum principiorum, quae paulo ante indicavi, vitiis dicenda sunt. At doctrinam istam potius ad ingenii ostentationem, quam ad aegrotantium utilitatem confectam fuisse haud injuria putare possumus; nam neque firmis fundamentis innititur, neque ullam, ut arbitror, lucem in remediorum usu affert. Ponamus jam ex quinque illis principiis universum hominis corpus constare, illa tamen corpus istud nequaquam proxime componerent, sed diversa sua unione ejus magis patentia atque proxima elementa efficerent. Quapropter si medicamenta in extrema illa principia potestatem exercerent, ac illorum proportionem mutarent, id, ni fallor, perinde esset, ac corpus ipsum dissolvere. Adde, quod difficile est intelligere, qua ratione exigua aliquando remedii copia cito morbum sanare posset magnis concitationibus gravatum, si mala ista ex perturbata illorum initiorum aequilibritate emanarent. Nam si exempli caussa corpus ex inopia *azoti* laboraret, oporteret, ut in remedio illo tanta ejus *azoti* quantitas contineretur, ut quod per totum corpus deficeret, explere posset. Praeterea si China ex oxigenii inopia

robur corporis auget, cur idem efficit *oxidum* rubrum ferri, quod oxigenio abundat? Cur acidum nitricum, et acidum prussicum, quorum utrumque ex oxigenio suam acidam qualitatem habet, tamen adeo viribus differunt, ut alterum excitandi potestate polleat, alterum vim vitae imminuat, atque prosternet? Demum etiamsi rationes omnes constarent, quo pacto morborum naturae notitiam assequi possemus, nempe qua via possemus cognoscere, quodnam ex illis principiis peccaret, et qua ratione copia ne, an inopia, atque vitio illo congredientium principiorum ignorato, quamnam normam in electione atque usu medicamentorum haberemus?

Sed et *metaphisicum* ingenium nonnulli medicorum principes in remediorum doctrinam invexerunt. Ita olim Atheuaeus sectam quandam confinxit, cui *pneumaticae* cognomen fuit ex eo, quod auctor ille *spiritum* primas ferre in humani corporis dispositione, sive aeconomia, illumque omnibus animalis vitae funtionibus praeesse, atque ex ejus laesione morbos omnes oriri arbitrabatur. Quare remedia spiritum illum afficere putabat, et pro diversa istius affectionis ratione diversas in corpore commotiones, ac mutationes fieri. Utrum vero pro illo spiritu animum intellexerit, an aliud quodpiam haud constat. Caeterum doctrina ista valde convenit cum illa, quam de *Archeo* suo Paracelsus, atque Helmontius prodiderunt.

Praeterea plures clarissimi viri vim nescio quam per omnes corporis partes diffusam statuerunt, quae illarum partium functiones moderetur, et conservationi sanitatique omni ope consulat. Vim istam *naturam* nominarunt; et remediorum effectus magna saltem ex parte ex istius virtute et providentia sciscitati sunt; neque vero quid illa natura esset, definiverunt. Stahlius autem hunc principatum animae detulit. At obscurae istae explicationes nulli in remediorum administratione usui esse queunt.

Cullenius fluidum quoddam subtilissimum nervorum ope pene in omnes corporis humani partes deferri, illarumque vitam, et movendi, ac sentiendi facultates sustinere putat. Huic *fluido nervoso* cognomen addidit, quod a *spiritibus animalibus* Boerhaavii, atque Halleri in eo potissimum differt, quod *spiritus* isti propriis, nulloque modo aspectabilibus minimis canalibus continentur, fluidum autem Cullenii particulis nervorum propriis interjacet, et per istarum intervalla ita dispertitur, ut illius extremae particulae sibi mutuo proxime adjaceant, quare, aliqua mota, et caeterae commoveantur. Itaque si in aliqua corporis parte ex admoto stimulo fluidum illud concitetur, concitatio ista per continentem nervum ad illum capitis locum pervenit, quo ex omni corporis parte rerum sensus deferuntur veluti ad quoddam centrum, ex quo etiam per proprios nervos in diversis

corporis partibus voluntatis arbitrio motus excitantur: ideo locum istum et Cullenius, et plures alii auctores *sensorium commune* appellare consueverunt. Praeterea Cullenius partes simplices, quae in vivo animali facultates produnt, quibus a morte orbantur, scilicet sensum, atque illam, quae vulgo *irritabilitas* vocatur, ab illis distinxit, que iisdem facultatibus tum in vivo, tum in mortuo animante carent; et primas cum Gaubio *solidum vivum* appellavit, secundas *solidum simplex*. Hisce positis, duas in remediis agendi rationes constituit, quarum altera solidum simplex, altera solidum vivum afficiant. Ex illa tres mutationum species in fibris fiunt, nempe earum contractio, remissio, et erosio: ex hac autem status interjecti fluidi nervosi mutatur, quae mutatio ad commune sensorium delata ipsum ad aliquem quasi repulsum excitant, unde varii generis concitationes seu mutationes in diversis corporis partibus oriuntur pro primae illius remedii actionis varietate, cui etiam Cullenius addit quandam naturae providentiam, qua aliquando vis vitae sponte summa ope nititur, ut ea arceat incommoda, quibus vehementer angitur, aut ut aliquos effectus edat, quibus maxime illi opus est. Praeterea aliquando et chimicis *affinitatibus* remedii cum aliquo humani corporis humore utitur, qui ejusdem remedii singularem aliquam facultatem explicet. Ita Cullenius hisce vagis,

atque obscuris additamentis simplicitatem doctrinae imminuit, illique noctem quandam atque ambiguitatem offudit. Caeternm eorum, quae solidum vivum afficiunt, quin ullum humorum profluvium, aut ulla alia in his satis conspicua mutatio proxime sequatur, quinque summa confecit genera, in quorum primo *roborantia*, in secundo *incitantia*, in tertio *sedativa narcotica*, in quarto *frigerantia*, in extremo *antispasmodica* contmentur. *Roborantia* corporis robur augent; *incitantia* humores commovent, et vim vitae extollunt; *sedativa narcotica*, quae alii postea *deprimentia* nominare maluerunt, vim vitae deprimunt, dejiciunt, prosternunt; *frigerantia* corporis calorem minuunt, *antipasmodica* demum contractiones solidi vivi tollunt. Caeterum Auctor iste omnem peculiarem facultatem, qua quibusdam morbis abdita propriaque virtute, quam *specificam* dicunt, medeantur, remediis denegavit. Ipse hanc Cullenii doctrinam in iis, quas ad illius *Materiam Medicam* opposui animadversionibus, omni ope, atque opera curavi ut magis perspicuam, emendatam, atque probabilem redderem. Deinceps alia etiam addidi, quorum mox adumbrationem aliquam exhibebo.

Demum non ita multis abhinc annis quoddam doctrinae genus generalium nonnullorum effectuum contemplatione innixum in medium prodivit, quo maxime et *Materiae Medicae*, et universae Medici-

nae studium contrahitur. Brunonus Anglus Medicus primum Cullenii discipulus, deinde aemulus ac adversarius doctrinam illam excogitavit, illamque statim quamplurimi sequnti sunt alii rei novitate et quadam elegantiae specie adducti, alii ab illius facilitate, et brevitate illecti. Brunonus enim omnes morbos generales ad duo tantum genera retulit, alterum eorum, qui nimio robore, alterum eorum, qui nimia debilitate peccant, primos *stenicos*, secundos *astenicos* nuncupavit, atque omnem morborum compositionem penitus rejecit. Remedia autem sola incitandi potestate instrui statuit, atque in hoc tantum inter se differre ait, quod alia aliis hac virtute praestent, proindeque *sedativam* facultatem, quam supra memoravi, omnino sustulit. Brunonis opiniones nonnulli clarissimi scriptores fusius exposuerunt, et in aliqua parte emendarunt. Atque Vir ingenio, varietate doctrinae, et vel ipsis literariis certaminibus clarus, qui jam inde a principio illas amplexus est, ab ipsis postea nonnihil deficiens potestatem *sedativam* remediis mutato nomine restituit. Neque vero hac ipsa aptissima additione varii remediorum effectus explanari poterant, quare illustris Petrus Antonius Bondioli olim meus auditor, postea Sodalis, atque magno scientiae Medicae detrimento praematuro fato peremptus tertiam facultatem adjunxit, quam *irritativam* appellavit, quae non in universum

corpus funditur, quemadmodum aliae duae incitans, atque deprimens, sed eam tantum partem affectat, cui proxime remedium admovetur. Nuper autem Clarissimus Franciscus Fanzago meus amicus atque sodalis hanc ipsam rem perspicue atque acute, ut in omnibus solet, pertractavit, et Bondioli sententiam ita animadversionibus suis illustravit, et auxit, ut haec, si paululum inflectantur, minimum a nostris opinionibus abesse videantur. Etenim hac *irritativa* potestate et eam, quam ipse *actionem chimicam*, et partem illius, quam *facultatem electivam* nuncupo, una conjunctas comprehendit. At celeberrimus Darwin medicamentorum facultates ampliavit, eorumque septem prima genera constituit, scilicet *nutrientium, sorbentium, secernentium, invertentium, revertentium, excitantium, et torpentium*. *Nutrientia* autem vocat ea omnia, quae alendo corpori inserviunt; *sorbentia*, quae vasis ad sorbendos humores opitulantur; *secernentia*, quae humores evocant, atque educunt; *invertentia*, quae vasorum aliarumque partium motus invertunt; *revertentia*, quae eos restituunt; *excitantia*, quae firmarum partium impetum, atque humorum motum augent; *torpentia* demum eadem ipsa, quae ab aliis *sedativa*, sive *deprimentia* nuncupata sunt. Magna istorum generum pars vaga est atque dubia, nam eventis innititur, quae pro diversa corporis conditione quam maxime differre queunt:

ex quo doctrina incerta, infirma, minusque tuta existat necesse est.

His omnibus addere possumus sententiam illam, qua Abercrombyus, Floyerus, Linnaeus, aliique saporum, atque odorum discrimine remediorum facultates alias ab aliis distingui, ac definiri posse judicarunt; atque aliam illam, quam primus Camerarius protulit, et postea plurimi Clarissimi viri, inter quos silentio haud praetereundi sunt Wilka , Gmelin, Linnaeus, et nuper Decandole persequuti sunt, scilicet sententiam illam, qua putatur plantas eo magis medicis facultatibus congruere, quo magis habitu, aut principum suarum partium figura, atque forma ad se mutuo accedunt. Ista tamen etsi pluries reapse ita sint, attamen saepenumero a veritate abhorrere comperta sunt, quare veluti adjumenta quaerendarum illarum facultatum haberi possunt, certam autem doctrinam nequaquam constituunt.

Quae cum ita sint, cum medici in remediorum usu eorum eventus neque cum illis doctrinis congruere, neque vulgatis Clarissimorum virorum observationibus respondere plerumque intelligerent, partim multa perturbate, nulloque praestituto ordine alia post alia, aut simul inconsulte mixta adhibere consueverunt; partim melius aegrotantium saluti consulentes facultates, quos haud probe noverant, veriti paucis remediis usi sunt, atque in id sedulo sibi in-

cumbendum esse duxerunt, ut morbi cursum attente observarent, et naturae conatibus opportune, quam paucioribus, atque simplicioribus auxiliis possent, opitularentur; partim demum citas curationes consectantes tuta, atque vulgaria detrectarunt, ignotis, violentis, periculo plenis inhiarunt, fidemque omnem adjunxerunt, quibus morbos adorti sunt, eorumque naturalem cursum miris identidem modis turbarunt, ac aliquando per maximas perturbationes, atque per summum vitae discrimen vi sanitatem, vel praeter communem hominum expectationem obtinuere, saepius autem aegros suos in mortem praecipites egerunt, quo pacto cito, ut sibi principio proposuerant, et morbum, et aegrotantis aerumnas finiverunt. Atque hac brevi, vehementi, asperaque medendi ratione permulti allecti alia post alia in dies singulos pertentantes in locum lenis, facilisque, at hiulcae, et in multis fortasse inconcinnae, inconsideratae, ac fabulosis facultatibus refertae pharmacologiae quandam toxicologiae formulam suffecerunt.

Cum haec omnia attento animo perlustrarem, atque perpenderem, ideo hominum studia minus prospere, quam par erat, plerumque processisse in remediorum scientia proferenda, ac in eorum facultatibus recte definiendis mihi visa sunt, quod aut in observando remediorum effectus, et in faciendo eorum periculo nulla generali doctrina usi sunt, aut ex

parum attenta paucorum eventorum contemplatione, atque ex nonnullis periclitationibus oscitanter, ac interdum praeocupato falsis opinionibus animo factis doctrinas generales vagas, falsas, absonas composuerunt. Enimvero doctrinae generales praeterquamquod, medicamentorum effectibus certo aliquo vinculo conjunctis, disciplinae studium contrahunt, et planius reddunt; pervestigationes regunt, atque sustinent, et observationes splendidissima luce illustrant. Cullenii quidem doctrinam, quam superius summatim exposui, nonnullis emendationibus adhibitis, satis probabilem, atque effectibus remediorum explicandis accomodatam existimo. Meas hac de re animadversiones exponam, quas ut magis perspicuas faciam, rem altius repetam, et quod temporibus subcesivis animi causa *de natura hominis* specimen commentatus sum hac occasione referam.

Ex iis, quae nostrae aetatis chimici protulerunt, satis constare arbitror *oxigenium*, *idrogenium*, *azotum*, *carbonium*, *phosphorum*, *calcem*, *ferrum*, *sulphur*, *acidum muriaticum*, et *sodam* prima illa magis simplicia corpora esse, ex quorum varia unione, atque intima permistione *fibrina*, *albumen*, *gelatina*, *adipocera*, *aqua oleum animale*, et aliqui sales fiunt; quae res inter se diverse consociatae, et omnes humani corporis humores, et simpliciores ejusdem firmas partes, quae *similares* appellantur, proxime componunt,

Inde magis compositae ejusdem corporis partes efficiuntur, quae *instrumentales*, vel *organa* dici solent. *Organa* autem ista pro diversa sua forma atque natura diversa obeunt munia. Jamvero natura differunt ex initiorum suorum varietate, forma autem ex varia *similarium* partium, quarum concilio proxime constant, magnitudine, numero, atque dispositione. Quae cum ita sint, facile patet firmas istas partes iis omnibus facultatibus, viribusque instrui, quae communium naturalium rerum propriae sunt, scilicet *inertia*, *attractione*, *mobilitate*, caeterisque ejusmodi potestatibus. Quamobrem corpus humanum ex modo explicata sua conditione et mechanicis, et hydraulicis, et chemicis legibus parere debet; et hinc firmae partes, et liquidae multis quidem motibus cierentur, multasque paterentur mutationes, nisi aliae minus perspectae potentiae illas prohiberent, quominus ejusmodi suo naturali ingenio penitus obsequerentur, atque illis Physicis, ac pervulgatis potestatibus additae earum actionem valde immutarent. Potentiae autem istae duplicis sunt generis aliae nimirum animi, aliae quibusdam caecis, obscurisque corporibus propriae, quae propter singulares quasdam suas proprietates corpora *aetherea* a me appellari consueverunt; atque ejusmodi corpora a vulgaribus in eo potissimum differre puto, quod illorum extremae particulae repellendi, e contrario istorum attrahendi

facultatae instruantur. Ex hisce aethereis corporibus ignis est, qui per omnia alia vulgaria, sensibusque patentia corpora diversa ratione dispertitur, atque diffunditur, et cujus qualitates in praesentiarum magis nobis cognitae sunt, quam illae, quae ad alias ejusmodi aethereas rerum species pertinent. Cum autem ignem nomino, eam intelligo rem, quam *caloricum* recentiores Physici vocare solent, cujus est corpora, cum quibus permiscetur, calefacere, atque expandere. Lucem quidem alii ipsius ignis quandam esse conditionem, seu qualitatem judicant, alii vero res illas natura sua diversas omnino esse, neque immerito, statuunt. Sequitur vagum electricitatis genus, unde adeo varii effectus in dies singulos prodeunt, ut quo magis in suarum generalium proprietatum diligentissimorum virorum observationes, atque studia progrediuntur, eo magis quaestio illa obscura, atque involuta evadere videatur. Ejusmodi fluida in rerum universitatem fusa cum diversis corporis humani partibus varia quantitate, atque ratione permiscentur, ita tamen, ut eorum copia, atque distributio non eaedem quidem sint in vivo homine, ac in mortuo. Quod si ad ea, quae in communi vitae cursu contingunt, sedulum animum attendamus, aliud praeterea aetherei fluidi genus certe inesse in homine fateamur necesse est, quod cum istius vita ita arcto foedere conjunctum apparet, ut cum illa

desiverit, haud magna interjecta mora, et ipsum penitus evanescat. Hocce fluidum Cullenium auctorem habens *nervosum* appello eo tamen discrimine, quod ipse non solum medullam cerebri, et nervorum, per minima componentium particularum inania intervalla dispertitum, verum etiam *fibras irritabiles*, et sanguinis cruorem varia copia, atque adhaesionis vi occupare censeo: immo vero neque caeteras corporis partes in vivo homine hoc fluido prorsus destitui existimo, at ita exiguam ejus quantitatem in illis contineri, ut effectus conspicuos aeque ac in iis, quas prius indicavi, gignere nequeat. Itaque istius nervosi fluidi ministerio vita sustentatur. Nam ex diversa ratione, qua diversi generis partibus inhaeret diversae in istis praestantiae oriuntur. Quare nervis rerum sensus ad animum deferendi, et motus ad animi nutum in musculis excitandi facultatem impertit; in musculos diverse diffusum eorum qua irritabilitati, qua robori favet; in omnibus partibus earum refectioni, atque propriis functionibus preest, et integritati prospicit. Neque vero si qua in parte aliquo modo istius fluidi status turbatur etiam in caeteris eadem perturbatio continuo sequatur necesse est. Etenim saepenumero fit, ut prior tantum illius fluidi per universum corpus fusionis ratio mutetur, atque in alium ordinem se se componat. Quamobrem imminui, aut augeri potest in nervis sensifera virtus,

quin eodem tempore augatur, aut minuatur in musculis sive irritabilitas, sive robur. Itaque istius fluidi ope rerum impressiones ex externis sensibus ad *commune sensorium* deferuntur, quo in loco earum species animo obversantes vario modo illum afficiunt, unde diversae sensationes, atque ideae oriuntur. Istius pariter ope in cerebro praeteritarum impressionum vestigia, quae illa memoriae fundamenta constituunt, quae ad corpus pertinent, conservantur. Ex illius particulis, quae in cerebro versantur, varie commotis, et quasi aliquo perenni motu micantibus, et ex varia istarum commotionum societate, caeterorum internorum sensuum ea, quae ad corpus pertinet, pars efficitur, atque explicatur. Praeterea ejusmodi nervosi fluidi opera anima suae voluntatis arbitrio diversas corporis partes et movet, et sustinet. Enimvero omnis animae cum corpore, cui praeest, communio per illud fluidum in *communi sensorio* perfici videtur. Hoc in loco anima illud fluidum proxime abdita quadam, atque ignota actionis ratione, quam *influxum physicum* vocant, afficit, quae affectio per continens hoc ipsum fluidum in universum corpus funditur. Istius quidem affectionis duplex est ratio: nam praeter illam incertam, atque vagam, verum satis conspicuam actionem, qua illi exsuscitantur motus, qui *voluntarii* dicuntur, altera extat constans atque perpetua, quae cum insignis admo-

dum sit, tamen ob hanc suam constantiam in consuetudinem abiit, neque ulla attentio illi adhiberi solet, quare animi imperio sese subtrahere omnino videatur. Ex hac postrema actione illustres illae duae vivi corporis facultates existunt, quarum altera partes communi rerum vita carentium proclivitati ad corruptionem obsistunt, altera autem in obeundis suis functionibus a vulgaribus mechanicae, hydraulicae, atquae chimicae legibus deflectunt. Quin etiam ex hac eadem ipsa partes mutuos in se nisus edunt, ac se mutuo sustinent, unde firmitas universo corpori accedit. Istarum facultatum, quae in diversis corporis partibus inhaerent, summam *vim vitae* nominamus; at primam in *communi sensorio* actionem, scilicet primam illam perpetuam, et aequabilem fluidi nervosi incitationem, ex qua per universum corpus diffusa praedictae facultates oriuntur, *energiam cerebri* appellamus. Atque ad hanc *energiam* veluti ad quoddam centrum omnes corporis vires nixae miram consensionem prae se ferunt, unde merito Hippocrates ait *confluxio una*, *conspiratio una*, *consententia omnia*; quamobrem in corpore sano partes omnes suis propriis muneribus tranquille, placideque ex naturae ordine funguntur. Itaque ob hanc universi corporis aequilibritatem ista *cerebri energia* non solum obeundis singularium partium functionibus praeest, verum etiam, si quando ex aliqua caussa turbatae fue-

rint, summa ope nititur, ut eas in priorem sanitatis statum restituat. Hoc pacto vita perenni partium motu, mutuoque nisu sustinetur: cui motui tres summae causse assignari queunt, nimirum animus, res externae, et partium ipsius corporis quaedam repulsus species, vel adversa actio, quam *reactionem* physici nuncupare solent. Ex hac *reactione* humores commoti, et plerumque huc, atque illuc compulsi, atque contrusi partes, in quas incidunt, incitant; firmae autem partes ex suscepto aliquo motu vel ex aucta, aut imminuta sua tensione reliquas, ad quas aliquo modo annectuntur, quatiunt, atque turbant, turbata priore aequilibritate. Inde conficitur, ut pro varia stimulorum, atque virium conditione functiones diverse perficiantur, modo satis commode, modo cum molestia; inde et variae hominum naturae, et variae aegritudinum species oriuntur. Enimvero ratio, quae inter vires ipsas, et inter easdem atque varios stimulos intercedit, non omnibus hominibus, neque omnibus aetatibus eadem est, sed hac in re homines alii ab aliis non mediocriter differunt, quin eorum functiones adeo molestae evadant, ut inde morbus sequatur. Istae autem differentiae generales in diversis hominibus eadem aetate praeditis eorum diversas generales naturas efficiunt, quas alii *temperamenta*, alii *temperaturas* vocant. Cum autem ejusmodi differentiae in aliqua tantum corporis parte,

sint in alicujus functionis organo habeantur, tunc singularis natura existit, cui *idiosyncrasiae* nomen est. Differentias istas jam inde ab origine sua homines sortiuntur, at longus tamen rerum usus, nimirum consuetudo ita mutare potest virium, atque stimulorum proportionem, quae primitus indita est, ut et novae *idiosyncrasiae*, et novae quasi generales naturae oriantur. Quare recte Celsus dixit medicum amicum extraneo praestare. Cum autem remedia externis rebus adnumerentur, sequitur ex iis genus quoddam incitamentorum, quae vel vires ipsas vivi animantis, quas superius indicavi, quod perinde est ac dicere ipsum fluidum nervosum, vel vulgares corporis particulas chimica aliqua, atque communi affinitate proxime afficiunt, vel aliis stimulis, quos inter vias offendunt, addita novam simul agendi rationem componunt. Quamobrem et pro varietate tum virium, aut particularum affectarum, tum stimulorum congredientium, et pro varia istius aut affectionis, aut societatis natura diversi effectus prodeant necesse est.

Jam vero sedulo animum advertere debemus duplex remediorum esse actionis genus, quippe cum eorum alia fluidum nervosum proxime afficiunt, et illius motum aut augent, aut minuunt, aut turbant, ac primam aequilibritatem tollunt: alia autem ex sua cum primordiis partium, quibus admoventur,

chimica affinitate istarum conditionem mutant, vel mutare conantur. Primam illarum *actionem vitalem* seu *animalem* nomino, alteram *chimicam*. Vitalis autem actio nervosi fluidi ope per universum corpus diffunditur, et saepenumero fit, ut illius clariores, atque insigniores effectus in parte aliqua appareant dissita ab illo loco, cui remedium admotum est; ita ut partem illam remedium quovis modo adhibitum deligere videatur. Ita hydrargirum quocumque modo usurpatum glandulas salivae petit, atque salivae profusionem parit; Cantharides vesicam afficiunt, et urinae difficultatem, ac *stranguriam* gignunt; Digitalis purpurea singularem in cor atque renes potestatem ostendit, quare et urinam movet, et sanguinis celeritatem minuit. Hanc autem remediorum proprietatem, qua in certa quadam praefinita corporis parte constantem aliquem effectum produnt, seu interius adsumantur, seu exterius apta copia, atque ratione admoveantur, seu venis injiciantur, *facultatem electivam* nuncupo. De hac vero facultate plura sunt animadvertenda. Primo unde ipsa oriatur; secundo utrum ad omnia remedia, quae potestate vitali instruuntur, scilicet quae fluidum nervosum proxime afficiunt, conveniat; tertio quid inter ipsam, et aliam illam, cui *specificae* cognomen est, intersit; quarto demum quanta sedulitate opus sit, ne istius electivae facultatis effectus cum iis eventis

confundantur, quae vel a singulari hominum natura, aut consuetudine, vel a varia ipsius morbi conditione emanant.

Quod ad illius *electivae facultatis* caussam attinet, hanc in quadam fluidi nervosi turbatione a *vitali actione* adhibiti remedii orta sitam esse existimo. Remedium enim praedicta sua actione illius fluidi motum, vel potius minimarum suarum particularum tremores pluribus modis permutat, videlicet istorum aut celeritatem, aut robur, aut ordinem mutat. Haec autem commotio ad sensorium per nervos propagatur, indeque turbata *cerebri energia*, istius actionis in diversas corporis partes fusae ratio ad primam illorum tremorum ex remedio proxime natam mutationem vertitur. Quare mutato illius energiae ordine, nil mirum, si aliquae corporis partes, vel functiones singulari aliquo, ac ex diversa remedii potestate praefenito modo afficiantur, unde certi quidam effectus oriantur. Neque vero putandum est, cum quendam effectum definite in aliqua parte gigni videmus, nihil aliis partibus accidere ex eadem ipsa potestate remedii eodem tempore posse. Nam cum virtus illius *energiae* in universum corpus diffundatur, statim ac illa turbata est, oportet, ut ipsa suae distributionis ratio in diversis partibus diverse mutetur. Quare ex eadem ipsa prima, atque simplici remedii actione et universum corpus modo

plus modo minus affici, atque turbari, et insignis aliquis effectus in quadam parte, et plures diversi, vel etiam adversi in diversis partibus una existere queunt; quamobrem pluribus eodem tempore electivis facultatibus remedium pollere videatur. Hoc pactò digitalis purpurea et universam vitae vim adoriri clanculum videtur, et cordis, atque renum functiones diverse turbat; alteram enim imminuit, alteram auget. Fateor quidem aliquando in eodem remedio, nimirum in diversis principiis, quorum concilio proxime constat, diversas inesse posse vitales potestates, quarum actiones diversis temporis punctis exsusciten- tur. Etsi difficile est cognitu, quando multiplices ejusdem remedii effectus non quidem ex unica, sed ex multiplici illius potestate oriantur; tamen hanc pervestigationem duplici via aggredi, atque ambiguitatem illam aut omnino, aut saltem aliqua ex parte tollere possumus, scilicet attente animadvertendo, qua ratione effectus illi progrediantur, et separatim singulorum principiorum, unde remedium constat, periculum faciendo. Etenim si multiplex remedii potestas illius varietatis caussa fuerit, effectus isti progrediendo se se mutuo implicabunt, atque impedient, et praeterea facilius a mutata corporis conditione eorum ordo turbatur, atque vertitur.

His satis cognitis, quae jam explicata sunt, sequitur, ut de *electivae facultatis* latitudine pauca dica-

mus. Si ea, quae remediorum usum consequuntur, oscitanter intueamur multa eorum omni prorsus facultate electiva vacare, sed aequabiliter in universum corpus dispergi, et tota aut in extollenda, aut in deprimenda vitae vi esse prima fronte videbuntur. Attamen si rem attentiore animo contemplemur, id nunquam examussim contingere certe intelligemus. Etenim si ea, quae adsumuntur, aequabiliter universum corpus adoriantur, atque ita moderate universam vitae vim aut extollant, aut imminuant, ut nulla inde in diversarum partium perfunctionibus mutatio, seu ordinis inversio aut turbatio sequatur; ea profecto a remediorum numero ablegare, et potius in alimenta, aut condimenta referre decet. Quod si remedium ita fluidum nervosum feriat, ut magna in isto aut concitatio, aut ad torpedinem proclivitas oriatur, id certe fieri haud poterit, quin si minus omnium, at nonnullarum partium functiones, aliquo modo turbentur, indeque *electivae remedii facultatis* modo plus modo minus clarum, atque apertum inditium sufficiant. Nam ita humani corporis partes a natura comparatae sunt, ut inter certos quosdam incitationis fines earum functiones sibi mutuo exacte respondeant, atque ita nexae alia ex alia sint, atque simul colligatae, ut ad constitutam a natura pacatam, atque tranquillam vitae progressionem conjunctim conspirent. At extra illos terminos neque com-

mune impetum aeque sustinent, neque incitationi jam imminutae aeque auscultant; quare a similibus incitamentorum mutationibus dissimili modo afficiantur necesse est. Nos tamen fallere saepenumero potest ipsa facultatis electivae species. Cum enim remedium ista sua facultate magis conspicuos effectus edit in partibus longe lateque in universum corpus diffusis exempli gratia aut in musculis, aut in sanguinis vasis, aut in nervis, eadem actio in toto corpore fundi fortasse videbitur, tametsi nonnisi aliquas illius partes affectet. Inde conficitur, ut cum a remedio aliquo sanguinis motus concitatur, omnes corporis vires auctae esse videantur, propterea quia ex vasis distentis habitus universi corporis plenior appaiet, et sanguinis citatior motus partibus, ad quas appellit, incitamento est. Itaque etiamsi eodem tempore ob perturbatam a remedii actione praedictam *cerebri energiam* nervorum praestantia imminuta esset, ista imminutio, vel dejectio tum demum perspicua evaderet, cum aut ipsa per sese eo cresceret, ut illi vel aucto stimulo minus obsequens fieret, aut ipse stimulus, nempe sanguinis impetus postquam ad maximum incrementi terminum pervenisset, paulatim adeo decresceret, ut non valde a naturali, aut priore sua conditione abesset. Quibus animadversis, tuto affirmari posse existimo omnia medicamenta, quae proxime fluidum nervosum afficiunt, aliqua electiva

facultate instrui, quamvis haec non semper aeque clara sit, et in aperto posita; atque ex partium, aut functionum varietate, ad quas facultas illa respicit, ipsam modo *roborantem*, vel *tonicam*, modo *debilitantem*, modo *excitantem*, modo *deprimentem*, vel *sedativam*, modo *calefacientem*, modo *frigerantem*, modo istiusmodi alio suo proprio cognomine appellari posse.

Specifica autem virtus ea dicitur, qua remedium peculiari, atque abdita agendi ratione certum quendam morbum tollere valet. Ejusmodi porro potestate nonnulla remedia excellere usus Chinae adversus intermittentes febres, et usus hydrargiri adversus sifilidem aperte, ut arbitror, demonstrant. Neque vero opinionem istam infirmare queunt commentitiae, atque hinlcae explicationes a nonnullis proditae, qui ea, quae minus intelligunt, rejicere solent. Atque inter illam *specificam* potestatem et facultatem *electivam* id interesse censeo, quod morbi, ad quem illa valet, natura, atque sedes ignorantur. Nam si et pars, et vitii natura, unde morbus ille ortum ducit, cognoscerentur, tum illa potestas specifica similitudinem gereret, ac speciem facultatis electivae, quae ad illam partem vergeret actione illi vitio contraria.

De reliquo facultas electiva multo magis elucet, si tum pars, quam remedium proxime aggreditur, tum ea, ad quam sua electiva facultas respicit, aut alacrio-

re vita fruantur, aut inter se ad illius facultatis rationem consentiant, sive singularis hominis natura, aut consuetudo, sive morbus ipse illi facultati aliquo modo faveat. Veruntamen quas res electivam facultatem juvare diximus, eaedem si parum ad illam facultatem accomodatae sint, ipsi quam maxime adversari, ipsamque aut penitus ignavam reddere, aut occultare queunt. Immo vero saepenumero fit, ut quae ex adhibito remedio eveniunt, electivam facultatem mentiantur, quae tamen ad illam sive partium conditionem, sive hominis naturam, sive consuetudinem, sive praesertim ad morbi genus atque statum pertinent, indeque aut sponte, aut data remedii occasione oriuntur. Attamen facile, ut opinor, *facultatem* remedii *electivam* a caeterarum caussarum varietate secernere, et internoscere possumus. Nam ea quae *facultatis electivae* sunt, perpetua sunt, modo paucos aliquos casus excipias, quorum caussa haud valde difficilis est cognitu, adhibita diligentia; at quae ab aliis caussis existunt, ea inordinata sunt, incerta, vaga, inconstantia. Atqui fieri potest, ut ea sit alicujus electivae facultatis natura, ut nonnisi in certo quodam morbo, ac sub definita aliqua corporis conditione patefiat. Tunc etsi facile illa facultas electiva cum morbi natura, vel actione confundi queat; tamem facultatem illam internoscere saepenumero possumus, si et ad ea, quae ex illo remedio, et ad ea,

quae ex pluribus aliis caeterum eodem potestatum genere praeditis eveninnt, sedulum animum attendamus. Etenim si, illo adhibito remedio, certus quidam effectus in eodem morbi genere semper existat, neque idem contingat, quando aliis, etsi earumdem de reliqno virium, remediis utimur, necesse est concludere effectum illum ab electiva primi remedii facultate ortum ducere, quae tamen facultas silet, usque donec ab illa corporis conditione exsuscitetur. Adde quod huc operam conferre potest actio aliqua chimica, scilicet remedium illud potest cum aliquo vulgari initio, quod in illo corporis statn extricatur, vel efficitur, consociari, et ex ista unione facultatem illam electivam acquirere. Sed haec plerumque patefient, si medicis illius remedii periculis inquisitiones chimicae adjiciantur.

Sed transeamus jam ad alteram remediorum agendi rationem, quam *chimicam* appellavi. Mutationes, quas ejusmodi actio gignit, ab iis, quae ex actione sive *potestate animali* existunt, in duobus generatim differunt; quippe cum primae et eaedem prope siut in partibns vita fruentibus, ac in iis, quae vita carent, et iis partibus definiantur, quibus remedia proxime admoventur, quasque propterea tangunt. Neque vero ista niminm stricte accipienda snnt; nam in vivo animali vis vitae omni ope obsistit iis mutationibus, quae per satis cognitas communes, ac pervulgatas na-

turae leges naturalem vitae cursum turbare aliquo modo valent, quare chimicam adhibitarum rerum actionem modo delet, modo minuit; quin etiam ex adverso istarum actionum nisu aliqua actio vitalis exsuscitatur, quae cum chimica componitur, quamobrem et in parte ipsa chimicae potestatis effectus intenditur, aut invertitur, et in dissitis etiam modo majores, modo minores perturbationes concitantur. Ista tamen nullam ambiguitatem afferunt, nam aut levia sunt, aut tum demum contingunt, cum vel pars, quae primitus chimice afficitur, muneribus ad vitam proxime necessariis fungitur, et remedium ejusmodi potestate instruitur, ut partem illam quam maxime vexare, atque destruere queat, perinde ac ea facere solent, quae *caustica* dicuntur; vel remedium praeter illam chimicam qualitatem, aliquam etiam *vitalem potestatem* continet. Haec tamen facile internosci queunt, et praeterea effectus chimicae actionis magis conspicuus in eo extabit loco, cui remedium impositum est. Atqui aliquam etiam varietatem affert ipsa per sese partium communio. Namque in homine multo clarius apparet, quod de rerum universitate adeo concinne olim effatus est Cicero. *Est enim admirabilis quaedam continuatio seriesque rerum, ut alia ex alia nexa, et omnes inter se aptae colligatacque videantur*. Triplex porro est partium, unde humanum corpus constat, conjunctio vel per

interjecta vasa, vel per fluidi nervosi communionem, vel quod partes illae inter se cohaerescunt, atque aliae alias apprehendentes continuantur. Verum ut planiorem hanc pertractationem reddam, praestat rem minus generatim contemplari, atque ad chimicam eorum remediorum actionem, quae *adstringentia* dicuntur, animum referre. Itaque cum pars aliqua humani corporis ab adstringente remedio contrahitur, proximas, ad quas annectitur, trahit, ac tendit, quae proinde si irritabili facultate polleant, hac tensione quasi aliquo stimulo percitae ut sese contrahant magna ope nituntur. Sequitur, ut fibrae, quae istam vim patiuntur, magis firmae magisque rigidae fiant, vasa autem arctentur, motus humorum illa pervadentium incitetur, quare majore impetu, majoreque copia in ampliora, minus obsistentia, et quam proxime cum ipsis consentientia vasa confluant, ipsaque extendant, foramina dilatent, ac identidem ora vel costrictione, vel dejectione, ac demissione occlusa explicent, aperiant, ac latera disrumpant. Interea temporis partes ab adstringente materia contractae si prius firmae rigidaeque erant, firmiores magisque rigidae adhuc fiunt, et vasa, quae in illis insunt, ita arctantur, ut eorum cavitas paulatim evanescat, unde dirae, atque immedicabiles obstructiones oriuntur. Humores autem, qui illuc appellebant, obstaculo hoc impediti alio divertunt, atque peculiarem ibi re-

dundantiam, sive varii generis *plethoram* pro humorum varietate gignunt. E contrario si partes illae plus aequo remissae fuerint, hinc aliquam firmitatem adeptae nimium tardos, stagnantesque, qui in ipsis versantur, liquores discutiunt, atque promovent, quare illuc ex consociatis partibus humores majore copia, atque impetu confluunt. Quapropter adstringentia remedia sua chimica facultate nonnisi partes, quibus imponuntur, easque, quae cum primis illis sunt quaedam continuatione proxime conjunctae, contrahere atque arctare valent.

Veruntamen fieri etiam potest, ut ipsa eadem adstringentia liquore aliquo diluta in proxima vasa irrepant, et humoribus illorum vasculorum propriis immixta per varias corporis regiones ferantur, quo in itinere et eorundem vasculorum latera densent, ac firment, et partium, ad quas vel ob ipsarum conditionem, vel ob affectionis naturam, vel ob vasculorum distributionem majore copia confluunt, aliquam modo majorem, modo minorem pariant contractionem. Hac autem in re tria sunt potissimum animadvertenda, primo non omnia adstringentia apta esse, ut a sorbentibus vasis excipiantur vel quod sua actione eorum os contrahunt, et occludunt, vel quod eorum humores cogunt, quo pacto sibi viam praecludunt. Praeterea multa sunt peculiaribus chimici *affinitatibus* instructa, quibus naturalem illorum hu-

morum compositionem turbant, aliquorum initiorum a caeterorum unione divellunt, et nonnunquam cum ipsis societate inita, suam adstringendi potestatem ammittunt. Denique ejusmodi remedia minima quantitate vascula illa ingredi queunt, quae praeterea quantitas immani liquoris copiae immiscetur, et in magnam corporis amplitudinem distribuitur, quare in singulas partes valde exigua ipsius portio, ac prope penitus negligenda perveniat, cujus etiam maxima pars per vulgares profusiones e corpore eliminatur. Itaque hac via adstringentia medicamenta nullum istius suae facultatis satis perspicuum inditium prodere valent, nisi eorum usum in longum protrahere liceat.

Sed praeter illam partium communionem, quam ex ipsarum continuitate, vel per interjecta vasa fieri diximus, alia etiam consistit ex superius dicto fluido nervoso in universum hominis corpus diffuso, et in diversis partibus diversa copia, atque conditione inhaerente. Itaque quando ex adstringente remedio fibrarum firmae particulae ad se proprius accedere coguntur, necesse est, ut istiusmodi fluidum illis particulis interjectum comprimatur, atque prima suae stationis ratio turbetur, quod fieri nequaquam potest, quin aliqua mutatio in ipso *sensorio* proindeque in aliis corporis locis contingat. At haec ita levia esse solent, ut haud immerito prorsus negligantur,

eo etiam magis, quod neque cognitu facilia sint. Attamen si haec remedia saepius iterentur ex istà admodum repetita in illud fluidum impressione aliquam neque plane contemnendam suae distributionis varietatem accidere posse haudquaquam inficias iverim. At mutatio in locis ab admoto remedio dissitis non eadem omnino est, ac ea, quae fit in principe parte, quam remedium illud proxime tangit: haec enim ab actione chimica ortum ducit; in illa autem quaedam *vitalis actionis* species apparet. Itaque in locis illis dissitis si qua constrictio eveniat, haec *spasmodica* certe erit, scilicet contractio fibrae irritabilis ab impellente illo fluido excitatae. Quae de adstringentium in dissitas partes potestate per fluidi nervosi communionem dicta sunt, non longe absunt ab iis, quae a partium consensione oriuntur: atque in hoc praesertim rationes istae differre videntur, quod prima eundem ubique habet exitum, at postremae effectus e varietate partis primitus vexatae pendet, quare pro ejusmodi varietate, et diverso in loco apparent, et dissimilem consentientis affectionis speciem prae se ferunt. Quae cum ita sint, sequitur adstringentia partes proximas apprime contrahere in dissitis autem partibus posse aliquando actutum *spasmos*, neque porro magnos, atque diuturnos excitare, sed et illuc assidue, diuque per interjecta vascula appellendo sensim illas aliquantum arctare, ac firmio-

res reddere. Quam autem rationem ad explicandam adstringentium vim adhibuimus, eandem non magno sane negotio ad caeteras chimicas remediorum actiones traducere, atque convertere possumus.

Etsi hanc de remediorum generalibus actionibus doctrinam omnibus numeris absolutam existimare minime quidem ausim; tamen cum illam jam a pluribus annis profitear, quo attentiore animo in multiplici remediorum usu contemplatus sum, ipsa eo accomodatior explicandis istorum effectibus, eoque propius ad veritatem accedere mihi visa est.

Post haec facile erit viam generatim ostendere, quam in remediorum periclitationibus insistere debemus, quamobrem ignotas, atque in profundo abstrusas eorum potestates detegamus, vulgatas autem recte aestimemus, atque definiamus. In primis autem probe meminisse oportet praeclaram illam immortalis Hippocratis sententiam „ *ars longa*, *occasio praeceps*, *judicium difficile*, *experimentum periculosum*. *Neque vero oportet tantummodo* (medicum) *se ipsum praestare opportuna facientem*, *sed et aegrum*, *et assidentes*, *et exteriora* „ Quapropter necesse est, ut medicus summa ope atque opera caveat, ut a se omnem fallaciarum occasionem arceat. Observet aegros, observet curationis ministros, operarios, custodes, quid agant, quid moliantur; omnia scrutetur, de omnibus quaerat. Videat, si omnia examussim ex praescripto

faciant, si quid simulent, si quid taceant, si quid occultent, si quid ab ipsis arbitrio geratur; neque ullo modo ab illorum ignavia, aut malitia se decipi patiatur. Praeterea considerare debet remedii, cujus periculum facere est animus, qualitates, atque conditionem, an integrum sit, an carie exesum, an corruptione aliqua contaminatum, an ex aetate enervatum, an recte compositum, an praefinitae copiae, atque formae. Deinde ratio habenda est aegri naturae, aetatis, sexus, peculiaris conditionis, consuetudinum, loci, in quo versatur, animi affectuum, anni tempestatis, aeris qualitatum, morborum eo tempore, ac eo in loco praevalentium. Haec omnia attente animadvertenda sunt, singulorum potestates recensendae, effectus proprii sedulo volutandi, ne quae ab istis fiunt, ea perperam adhibito remedio adscribantur.

Hisce praepositis considerationibus, viam nobis sternimus, qua cautius, atque fidentius medicarum facultatum pervestigationem aggrediemur. Atqui duplex hic habetur quaestionis genus, quippe aut primo rei inusitatae utilitatem experimur sive a singulari aliquo evento excitati, sive ejus odore, sive figura, sive compositione, sive noxiis, obscuris, ambiguis virtutibus permoti; aut de illis potestatibus rectius definiendis agitur, quae ab aliis jam detectae sunt, atque evulgatae. Cum nova, atque insueta periclita-

ri instituimus; majore profecto cautione nobis opus est, nisi eorum usum omni periculo vacare antea aliunde nobis constiterit. Nobis autem aliquam afferet opem rei odor, sapor, et si ipsa ad plantas pertinet, locus etiam, quem in istarum naturali ordine tenet. Etsi enim nequaquam generalibus iis doctrinis penitus fidere debemus, quas de medicamentorum saporibus, atque odoribus Abercrombyus, Koenigius, Linnaeus, Fourcroy, aliique clarissimi viri protulerunt, tamen injuria certe omnia, quae inde duci queunt medicarum facultatum inditia prorsus rejicerentur. Nam ut multa eorum cum veritate haud plane consentiant, tamen necesse est fateamur plura esse, quae nullam dubitationem habent. Quis jam adstringentem potestatem rebus austero, atque adstringente sapore praeditis, irritantem acribus, excitantem fragrantibus denegabit? Possunt quidem patentes istae ac sensibus expositae qualitates cum aliis etiam obscuris, atque latentibus facultatibus in eodem remedio consociari, quamobrem haud licet ex solis illis qualitatibus universam remedii virtutem aestimare; at ipsae nostras pervestigationes et contrahunt, et ex aliqua parte mederantur. Neque vero negligenda est plantarum similitudo, nam quae externis praecipuis notis, aut habitu conveniunt, eas etiam similibus virtutibus saepenumero instrui compertum est. Veruntamen cum rem pluries aliter evenire in-

telligamus, nam saepenumero quae eodem continentur genere, medicis viribus differunt, et quae genere multum inter se distant, ejusmodi viribus quam maxime congruunt; inde conficitur, ut neque isti specierum similitudini plus aequo tribuere debeat, atque in illa omnino acquiescere, sed eadem veluti aliquo nostrarum inquisitionum adjumento uti. Enimvero id sedulo omni tempore caveamus oportet, ne quid temere, atque praecipitanter concludamus. Semper jam nostris animis praeclarum illud immortalis Baconis de Verulamio monitum obversetur. *Hominum intellectui non plumae addendae, sed plumbum potius et pondera, ut cohibeant omnem saltum et volatum.*

Haud raro autem magno nobis usui erunt chimicae inquisitiones. In primis jam quaerere debemus, ex quibus initiis remedium proxime constet, quonam societatis vinculo eadem teneantur, quaenam eorum sit ratio, quaenam caeteris praestent. Segreganda porro sunt initia ista, et singulorum facultates, si parum notae sint, sedulo explorandae. In ista quidem investigatione magnum est momentum ad divinandos effectus eorum remediorum, in quorum compositione initia illa ita libera, atque expedita extant, ut nullam sibi mutuo vim afferant, sed suas facultates sartas tectas, atque sinceras servant. Atque hoc praesertim aquis mineralibus accidere solet; in qui-

bus perscrutandis secundum Priesleyum, Blackium, Bergmannum, aliosque praestantissimos viros, novis doctrinis pro suorum temporum conditione usi optime de Italia meruerunt, Hoeffer, Andria, Lorgna, Bichierai, Santi, Giobert, Gioanetti, Moscheni, Malacarne, Volta, Breislack, Brugnatelli, et mihi amicissimus praeclarus in hoc Archigymnasio Professor Mandruzzatus, qui de aquis mineralibus agri Patavini egregium, atque omnibus suis numeris, et partibus expletum opus jampridem emisit. Sed praeterea quam maxime conferunt ejusmodi chimicae pervestigationes tum etiam, cum res illae, quarum concilio remedium proxime constat, arctius inter se cohaerent, atque permiscentur, ita tamen, ut aliqua sive plures earum vel caeteris praestent, vel facile a stomachi humoribus, aut a liquoribus, ex quibus remedium aliquando assumitur, e caeterarum unione avellantur. Etenim si primum habeatur, praevalidae suarum virium partem servabunt: si alterum, vires illae sejunctae, atque integrae obtineri queunt. Quod ubi neutrum eorum fit, tamen haec initiorum cognitio maximo saepissime usui nobis erit in apta remediorum magis compositorum praescriptione. Inde nempe monemur, quas uniones vitare debeamus, quas vero deligere, ut quem nobis proposuimus, finem assequamur.

Veruntamen ut multo magis natura, et vires remedii introspiciantur, atque ut cautius, atque fidentius adversus hominum morbos eodem uti possimus, operae pretium erit, ipsum, antequam in hominibus adhibeamus, in nonnullis aliis animantium generibus experiri. Hanc viam multi eximii viri splendidissimis exemplis identidem praemonstrarunt. Itaque Baglivius periclitatus est cantharides in canibus, in pluribus animantium generibus camphoram Menghini, viperae venenum, et varia adversus ipsum auxilia Redi, Mead, Fontana, Mangili, Accademici Parisienses, et eodem modo plures alii alia. Caeterum danda est opera, ut remedium, de cujus facultatibus quaerimus, neque semel, neque bis, sed pluries, et diversis temporibus, et in animantibus diversis, atque diversa conditione praeditis adhibeamus; illud varia copia, ratione, atque forma, modo solum, modo aliis admixtum praebeamus: diversisque tum vivi animalis partibus, tum illis a totius corporis conjunctione secretis, aut avulsis applicemus; immo vero et singula initia, quorum concilio proxime constat, separatim experiamur; atque omnia, quae inde oriuntur, probe, seduloque notemus, magna attentione atque sollertia inter se comparemus, acute ac exquisite colligamus. Ex ejusmodi inquisitionibus chimicae in primis remediorum facultates patefient, et saepenumero etiam illae, quas *electivas* nuncupavi. Attamen de hisce postre-

mis haud decet nimium generatim concludere, et quae in aliis animantibus fieri conspiciuntur, eadem nullo adhibito discrimine, ac praecipitanter in homines ipsos transferre; nam dissimilis partium aeconomia aliquando rerum appellentium effectum nonnihil vertere, ac diverse moderari potest.

Itaque quae tentamina sumenda in animantibus ratione expertibus modo proposui, eadem in homine, quoad ejus facere licebit; repetere debemus: Hac tamen in re illud nos meminisse oportet, quod supra fusius exposui, nimirum tria diversa facultatum genera in eodem remedio inesse posse, scilicet actio chimica, facultas electiva, et aliqua specifica virtus, quae quadam obscura atque ignota agendi ratione certum aliquem morbum tollere, aut arcere valet. Singulas ejusmodi differentes potestates naviter aliam ab alia internoscere debemus, ut confusionem, atque ambiguitatem in usu remediorum pro viribus declinemus. At ad acquirendam facultatum electivarum, multoque magis chimicarum cujusque remedii notitiam maxime quidem valent et ipsae chimicae inquisitiones, et alia tentamina, quae in caeteris animantibus sumi queunt. Cum autem in hominibus easdem experiri instituimus, praestat primo nostras pervestigationes in homine sano aggredi, ut normas quasdam fixas eliciamus, ad quas vagos illos remediorum effectus comparemus, qui aut ex per-

verso illorum usu, aut ex incerto morborum ingenio, aut ex peculiari corporis conditione identidem oriuntur: quemadmodum veletudine utimur veluti modulo, quo functionum humani corporis aberrationes aliquo modo metiamur*. Interea loci ne fallaci specie decipiamur, atque aut vitali remedii potestati affingamus, quod sin minus ex toto, at majore saltem ex parte ex chimica ejus actione pendet; aut quae facultas electiva est, eam aequabiliter in universum corpus diffusam esse arbitremur; meminisse juvabit, quae hac de re superius tradidi: videlicet praeter partium jam memoratum concentum chimicam remedii actionem aliquando ex ipso vis vitae diverso, aut adverso nisu atque molimine nonnihil mutari, vel etiam augeri, alias nonnisi istius vis ope atque opera explicari posse: facultatem autem electivam, si partes vehementer feriat, quae latius ad universum corpus disperguntur, generalis et in omnes corporis partes aequabiliter fusae virtutis speciem prae se ferre. Inde videre licet chimicam actionem in partibus magis sensilibus, aut majore irritabilitate praeditis varios, atque majores effectus edere; cantharides partibus exanimis impositas nullam potestatem prodere, at partes vita fruentes rubefacere, ac rodere; ex opio omnes corporis partes concitatas prima fronte videri, cum tamen ex diligentiore suorum effectuum observatione, ex meo non solum, sed ex

plurimorum cujusque aetatis prestantium medicorum judicio, ex illo sanguinem quidem concitari, at nervorum virtutem deprimi satis superque pateat.

Multiplex autem est tentaminum genus, quae in homine ipso institui debent, quamobrem remediorum facultates cautius explorentur. Nam remedium, cujus facultates cognoscere optamus, et nonnullis nostris corporis humoribus admiscere decet, et diversis corporis partibus admovere, et varia forma, ratione, copia in cujuscumque aetatis hominibus, in pueris, in adolescentibus, in viris, in senibus, vel jejune, vel post cibum, vel mane, vel vespere, vel noctu, vel de die, diversa anni tempestate, ac sub diversa aeris conditione, tum in sanis, tum in aegrotantibus, et dissimili morbo vexatis, et differentibus morbi temporibus adhibere. Remedium autem cum iis potissimum humoribus admiscendum est, quibus sese immiscet, cum ore sumitur, aut quovis alio modo usurpatur. Itaque ad hanc rem nobis utendum est saliva, oris fauciumque muco, succo gastrico, succo pancreatico, bile, lympha, et sanguine ipso. Atque praeter totos integrosque istos humores, praecipua etiam elementa, ex quibus illi componuntur, scilicet *gelatinam*, *mucum*, *albumen*, *fibrinam*, periclitari oportet. Quod si humores istos ex humano corpore secretos adhibeamus, ejusmodi investigatio magni certe momenti est ad recte chimicam remediorum

actionem internoscendam. Atqui caveamus oportet, ne (quod olim aliqui clarissimi viri peccasse videntur) plus aequo huic quaestionis generi tribuamus, atque in iis, qui inde producuntur, effectibus totam remedii vim sitam esse arbitremur: nam, ut alias diximus, vitae vis vulgares istos chimicae potestatis effectus varia ratione vertere potis est. Itaque longe majorem fructum percipiemus, si quoad fieri potest, pericula ex illis humoribus faciamus, cum vivi hominis partem constituunt. Inde enim et eas remediorum chimicas actiones saepenumero cognoscemus, quae vitae vi indigent, ut suam potestatem explicent, et eorum *facultates electivas*, immo vero et *specificas* detegemus, si in aegrotantibus opportune adhibeantur. Hoc inquisitionis genus plures clarissimi viri identidem persequuti sunt, tametsi cum alius alium sibi finem proposuerit, et cum haud satis vulgarem chimicam actionem a potestate vitali distinxerint, non omnes absolutam atque perfectam rerum notitiam consequi potuerunt. Nemo ignorat quanta sedulitate, atque solertia clarissimus Spallanzani succorum gastricorum tum hominum, tum plurium aliorum animalium periculum fecerit, ut illorum singularem concoquendi cibos proprietatem, et putridam labem arcendi facultatem probaret. Plurimi porro aut venena, aut medicamenta venis injecerunt, ut eorum potestatem in animalis aeconomiam experi-

rentur, qui tamen saepissime ejusmodi tentamina nonnisi ex varii ganeris animalibus sumpserunt, at haec ab homine plerumque abstinuerunt, quod remedia nisi summa cautione venis injiciantur, maximas turbas saepenumero concitant, et in vitae discrimen adducere queunt. Atque istae concitationes, quae fortasse ex partium per discurrentem sanguinem consensu existunt, aliquando ipsas veras electivas remedii facultates non mediocriter turbant, atque obvolvunt. Attamen, diligentia adhibita, nihil plerumque hoc remediorum in venas injectu aut ad proprias eorum facultates explorandas erit aptius, aut ad miras sanationes praestantius. Ejusmodi praeclarum exemplum relatum paucis ab hinc annis fuit in egregio illo opere, quod inscribitur *Diarium Societatis Medico - Chirurgiae Parmensis*. Ibi enim narratur praestantissimum medicum cito quendam hominem a proxima suffocatione ex gula a materie, quam voraverat, obstructa liberasse, vomitione per immissum in illius venas tartarum emeticum excitata. Ad discutiendam autem caliginem, qua ejusmodi tentamina frequenter circumfunduntur, ut cum maxime confert, si remedium ad plures corporis partes, ac diversa ratione applicetur. Etenim ex sedula eorum, quae consequuntur, comparatione facilius internosci poterit id, quod re quidem ipsa remedii proprium est, ab iis varietatibus, quae ex diversa partis natu-

re, atque ex ejus sive adversa actione, sive singulari cum aliis partibus consensu fiunt. Quo minore autem vita fruitur pars, cui remedium admovetur, eo majore ipsius copia opus erit; at ipsa magis tarda, atque segnior actio clarius nonnunquam proprias remedii facultates patefaciet. Quare praeter illum in vasa injectum remedium, alias deglutiri jubebitur, alias illud in cavitates, aut ex naturali corporis compositione, aut hiatu per morbum nato ad exteriora patentes immittetur, alias exterius. diversis partibus applicabitur. Atque eadem, qua remedio utimur, ratio, aut forma habet ipsa per se aliquam ad suas functiones opportunitatem. Si enim firma conditione usurpetur, lentius plerumque operabitur, et pedetentim alium post alium suarum facultatum effectus prodet; sin liquore aliquo solutum adhibeatur, citius, atque altius in vasa penetrabit, et aliquas a prioribus nonnihil diversas ex hac diversi itineris peragratione corporis turbationes parit: neque ab istis longe abhorrentia de aliis rationibus dici queunt, quibus experiri remedia possumus. Cum autem singulae istae rationes suam sibi opportunitatem habeant, modo hac, modo illa adversus morbos utendum est, neque aliqua ex illis ita caeteris praeferenda, ut illam semper in omnibus morbis adhibeamus. Fuit quidem quadraginta circiter abhinc annis Italus homo, qui ad omnes morbos remedia vaporis specie partibus pro

morborum varietate diversis admovebat; quare quaedam instrumenta ad hanc rem apprime accomodata excogitavit: atque hoc medicinae genere brevi satis magnum quaestum in Anglia fecit. At clarissimus Chiarenti plurimi frictiones pependit; atque medicamentis cum aliquo animali humore mixtis externas corporis partes perfricare jussit: quam postea doctrinam Solertissimus Brera maxime illustravit.

Praeterea diversa remedii quantitate uti oportet, illudque periclitari modo calidum, modo frigidum, modo solum, modo cum aliis rebus conjunctum. Etenim ex ejusmodi varietatibus diversi saepe effectus oriuntur. Quare Sal *Epsomensis*, sive *sulphas magnesiae*, si majore copia assumatur alvum dejectione purgat, et minore copia modo sudorem, modo urinam ciet, prout corpus aut calore, aut frigore vel ad illum, vel ad hanc magis proclive redditur. Hac de caussa et anni tempestatis, et loci, et aeris ingenii atque conditionis, et hominis singularis naturae, aetatis, atque status ratio est habenda; nam singulae istae differentiae aliquid in hanc rem conferunt, atque unaquaeque per se remedii vim ac facultatem nonnihil vertere nititur. Inde conficitur, ut ex eadem remedii quantitate alias nullus conspicuus effectus observetur, alias alvi dejectiones contingant, alias urinae profluvium. Attamen si istas easdem multiplices varietates, quae ex adversa, aut pertur-

bata perciti corporis actione proficiscuntur, attento animo, magnaque sedulitate rimemur, illud non raro assequemur, ut vel hisce latebris latitantes proprias remedii facultates internoscere, atque in apertum proferre valeamus. Cum autem remedium aliquod cum aliis rebus conjunctum adhibemus, sedulo animadvertere oportet, quid ex hac unione ipsi contigat, quid ipsum patiatur; quippe cum saepe fiat, ut inde remedii facultates aut minuantur, aut augeantur, aut aliquo alio modo mutentur. Quare ex acidi alcalique concilio res existit facultatibus instructa plerumque maxime abhorrentibus ab iis, quae aut illius acidi, aut illius alcali sunt. Tartarum emeticum Chinae admixtum suam facultatem vomitionem creandi ammittit; at china cum Senna conjuncta istius vim purgandi alvum auget. Eadem Senna cum Tamarindo mixta mitius purgat, et cum magna aquae frigidae copia non amplius dolores ventris exsuscitat. Ex opii cum ipecacuanha et alcali aliquo unione illius sudorem ciendi facultas augetur, vis soporifera infringitur. Neque vero omnino negligenda est temporis, quo remedium adhibetur, consideratio. Etenim vespere aliqua humorum concitatio adest, quae lenioris febris speciem ac similitudinem prae se fert. Mane autem omnia tranquilla, sanguinis motus pacatus, sublatae noxiae irritationes, perfecta humorum elaboratio, sordium secretiones, atque ex-

pulsiones. Quamobrem cum corporis conditio diversis illis diei horis differat, inde facile aliqua remediorum actioni varietas adveniet. Sed neque parum interest, utrum jejune, an post cibum remedium assumatur. Nam praeterquamquod in diversa ista stomachi conditione vis vitae diverse operatur, remedium in vacuo ventriculo totam atque integram suam potestatem explicat, at, ventriculo cibis repleto, cum hisce miscetur, indeque pro illius cibi differentia, atque copia aliquam mutationem patitur. Quare res, quae in stomacho versantur, vim remedii modo adjuvant, modo minuunt, aut obtundunt, non raro etiam ipsam illius facultatem aliqua ratione vertunt.

Etsi facultates electivae, atque chimicae remediorum actiones satis explorari, atque intelligi queunt, si ex sanis hominibus eorum periculum faciamus, tamen nullam certam specificarum potestatum notitiam assequi poterimus, nisi eadem in aegrotantibus hominibus experiamur. Qui enim singularem, atque abditam remedii adversus certum quendam morbum virtutem cognoscere possumus, nisi ex morbo ipso periculum faciamus? Adde, quod ejusmodi periclitationes mutationum, quas a morbi ingenio, atque natura chimicae, atque electivae remedii facultates identidem patiuntur, inditium faciunt; quare inde certas normas elicere possumus, quibus cautius remedium data occasione adhibeamus. Etenim nemo ignorat

idem ipsum medicamentum, quod et in sanis hominibus, et in plerisque morborum generibus quandam facultatem praefert, ac certum definitumque effectum edit, in singulari aliquo morbo adhibitum aliter se gerit, ac a naturali suo ingenio modo plus modo minus deficere videtur, ita ut vel alacrius, vel segnius appareat, vel prorsus diversa facultate praeditum. Itaque praeter illas varietates, quae aut a remedii conditione, aut ab aliis caussis, quae neutiquam ad morbum ipsum proxime spectant, oriuntur, multa quidem a peculiari morbi natura emanant longe ab illis, quae fieri alias solent, diversa. Quare aliquis aegrotus magnam opii copiam sine detrimento tolerare valet, alius magnam vim extracti cicutae, alius napelli; eodemque pacto fit, ut in aliquo morbi genere tartarum emeticum vulgarem suam ciendi vomitionem facultatem penitus ammittere videatur; et opium, cujus est sudorem movere, illum, quo phthisici difluere solent, plerumque sistit, aut minuit. Atqui non mediocris hic extat difficultas propter ambiguam, tenebricosam, atque occultam morborum naturam; nam multi, qui signorum similitudine plurimum congruunt, natura maxime differunt, quapropter plura epilepsiae, maniae, cephalaeae, ventris profluviorum, aliorumque morborum diversa, immo saepe prorsus contraria genera habentur, ita ut nil mirum si ad epilepsiam, aut ad caeteros illos alios

morbos plurima veluti certa, ac specifica praedicentur remedia dissimilibus, et saepe adversis facultatibus praedita, ac propterea si ea, quae aliquando utilia re ipsa extiterunt, alias valde noxia comperta sint. Itaque summa cautione opus est, ac omnia sedulo perpendenda, ne quod in remedii praepostera administratione peccavimus, id immerito illius ignaviae vitio vertamus. Perspectis illis a naturali statu aberrationibus, quae ex quodam morbo humoribus nostris accedunt, nonnunquam haud difficile erit praenoscere futuram mutationem, quam inde actio chimica adhibiti remedii capiet; si remedium eo evenire queat, ut cum humore vitiato societatem ineat. Hippocrates, Galenus, aliique antiqui medici urinae praesertim, sordium alvi, et eorum, quae excreantur, sensibus magis patentes varietates sedulo considerarunt. Istorum scilicet notaverunt colorem, tenuitatem, vel densitatem, odorem, quantitatem, mutationes. In urina praeterea adverterunt, si qua ad superficiem innataret materia, si qua suspensa teneretur, si qua ad fundum, vel ad latera secederet, et quinam istarum esset color. Illorum autem, quae ex ore excernebantur, aliquando etiam saporem, semper autem genus distinguebant, nempe an sanguis esset, an muccus, an saliva, an pus, an istorum plura inter se mista. In vomitionibus copiam rerum ejectarum, genus, ac colorem praecipue observabant; in sudoribus,

an ex univèrso corpore manarent, an tantummodo ex aliqua ejus parte, an frigidi essent, an calidi. Adhaec sedulo animadvertebant, quo morbi tempore ista contingerent, quaenam aliae corporis turbae, aut mutationes illis sociae adjungerentur, utrum inde morbus levaretur, an ingravesceret. Obscuriores, ac penitissimas mutationes neglexerunt, in quarum porro exploratione recentiorum chimicorum, ac medicorum studium, atque solertia plurimum profecerunt. Multa quidem de sanguinis, bilis, aliorumque humorum animalium a naturali, sanoque statu aberrationibus in nonnullis morbis a clarissimis auctoribus prolata sunt. Enimvero jampridem plures *phosphas calcis* in saliva eorum, qui artritide laborant, illustris Moscati de Physica, ac de universa Medicina optime meritus in phthisi plurimum *muriatis sodae*, praestantissimus chimicus Brugnatelli acidum *oxalicum* in syphilide detexerunt. Quid de urina dicam, in cujus exploranda natura adeo recentiorum chimicorum, et praesertim Scheel, Ruellii Junioris, Cruickshans, Thenard, Fourcroy, atque Vauquelini ingenia laborarunt, ut nihil reliqui futuris investigationibus fecisse videantur? Quae vero quantaeque in illa ex morbis mutationes! Quamobrem quanquam illorum circulatorum, qui ex sola urinae contemplatione morbum internoscere gloriantur, jactantiam, atque impudentiam, summopere improbare oporteat, atque

eorum ars plurimum vanitatis, ac vaniloquentiae profecto contineat, tamen sententia illa non adeo ex omni parte absona ac rejicienda videtur, ut nullum nobis aliquando naturae morbi inditium facere posse arbitremur. Habet scilicet aliquid peculiare urina eorum, qui ex diabete melite aegrotant; habet urina generali hydropisia laborantium ; habet urina rachiticorum; habet urina podagricorum ; habet urina hydropicorum ex haepatis aegritudine. Neque vero hic singulas humorum ex morbis mutationes recensere est animus, sed aliqua tantum exempla afferre aequum esse putavi, ut doctrinam generalem aliquo modo illustrarem. Caeterum diversis ejusdem morbi temporibus istae humorum secretiones et copia, et facie, et compositione ipsa differre solent, quare urina, quae, inclinato jam morbo, excernitur, plerumque valde abhorret ab illa, quae aut initio morbi, aut, eodem jam ingravescente, ejicitur.

Quae cum ita sint, oportet remedium diversis morbi temporibus experiri, et solerter iis, quae inde fiunt, partem detrahere, quae ad morbum, atque ad alia fortuito adjuncta, scilicet ad animi motus, ad cibos assumptos, ad haustos liquores, ad aeris conditionem, ad anni tempestatem pertinent. Praeterea sedulo distinguenda sunt, quae ex partium vel consensu, vel contraria actione ab iis, quae ex ipsius remedii sive chimica, sive animali potestate ortum proxi-

me duxerint. Ad chimicam actionem explorandam aliquando maximam opem ferre potest chimica eorum, quae excernuntur investigatio. Ita illorum, qui medicamentis ex ferro petitis utuntur, urina plerumque ferrum continet, quod facile cognosci potest, affuso acido prussico. Verum enim vero cum adeo implicata sit de remediorum facultatibus inquisitio, et adeo multiplex captionis occasio habeatur, idcirco neutiquam in uno alterove periculo acquiescere debemus, sed necesse est eandem rem pluries experiri, nam quo major erit tentaminum copia, eo facilius fraudes, fallaciaeque, si quae subsint, patefient.

Hisce de ignotarum facultatum exploratione animadversis, reliquum est, ut de pervulgatarum existimatione, et judicio generales aliquas normas brevissima oratione complectar. Tota autem ista res in eo potissimum vertitur, ut attento animo perpendantur et Auctorum diligentia, et historiarum, quae prolatae sunt, descriptiones, atque numerus. Nam si auctores aliunde veros esse, atque solerti ingenio praeditos, neque ullum sibi aut lucri, aut gratiae finem proposuisse constiterit; si historiae naviter expositae, si perspicuae si simplices sint; si nihil in ipsis aut ambigue scriptum sit, aut contrarie; si plurima pericula facta fuerint; si publice, aut coram pluribus ad judicandum severis hominibus; si omnia cum allata remedii facultate consenserint; si pluribus in locis

plures navi, cati, atque accurati viri eadem experti sint, nullaque inde controversiarum caussa extiterit; si demum nihil eorum, quae modo memoravi, aut in istis historiis, aut in earum auctoribus desideretur, de illarum historiarum veritate nullus relictus erit dubitandi locus. Tum denique illud restat, ut videamus, utrum hac occasione auctores illi ea omnia ut sedulo experirentur, curaverint, quae supra de explorandis ignotis remediorum facultatibus indicavi; quae si accurate confecta fuisse intelligamus, facultates illas veras, penitusque probatas habebimus; at si quid hac in re aut peccatum fuerit, aut praetermissum, necesse profecto erit vitia emendare, quae vero desunt, ad extremum perficere. Verumtamen a nimiis caveamus oportet, neque enim in hiulcis quaestionibus omnino acquiescere debemus, neque iis, quae satis perspecta sunt, nosmet abstinere, quod aliquid adhuc obscuri, atque nondum penitus enucleati contineant. Nam quamvis remedium aliquod quadam facultate instrui longa experientia omnino constiterit, tamen vel aliquid aliud cum illa facultate aliquando conjunctum erit, vel ista facultas aut vi, aut agendi ratione differre potest a simili potestate, qua aliud remedium praeditum est; quare duo illa remedia non adeo aequaliter ad quendam morbum, aut ad quandam opportunitatem accomodata sint, ut nullus detur optionis locus. Verumtamen dum omnes

industriae nervos intendimus, ut rectius quandam remedii facultatem ex omni parte definiamus, illud, quod minus perfecte de illa cognoscitur, haud penitus negligendum, neque exempli gratia si leni alvi purgatione opus sit, illud nos ab adhibenda cassia absterreat, quod fortasse ignoretur, an ipsa ad illius morbi naturam omnium maxime conveniat, ita ut caeteris omnibus lenibus catharticis praeferri debeat.

Ex attenta omnium istorum, quae adhuc exposui, consideratione satis patere arbitror, densis quidem tenebris, magnisque impedimentis remediorum disciplinam teneri, at multa nobis praesidia suppetere, quibus si recte utamur, et fallacias detegere valeamus, et magnum ex hoc studio in medicina facienda fructum percipere. Quamobrem ex iis etiam obscuris, dubiisque rebus, quae isti doctrinae objiciuntur, multa atque maxima identidem auxilia eruere possunt ii, qui ad haec studia sedulum attenderint animum. Hisce sane licet prolatas remediorum aestimare virtutes, errores tollere, nova cognoscere, et omni tempore hano medicinae partem amplificare. In pervestigandis autem, atque recte determinandis remediorum facultatibus illud, ut principio monui, caveamus oportet, ne aut plus aequo doctrina aliqua generali confisi diligentiam in periclitando minuamus, aut sola experientia, atque eventuum contemplatione contenti omnem generalem doctrinam

penitus negligamus: sed danda nobis est opera, ut duplici via eodem tempore ejusmodi quaestiones aggrediamur, quamobrem doctrinam generalem, quoad ejus fieri potest, probabilem, cum sedulis remediorum tentaminibus conjungamus. Doctrina quidem ita comparata esse debet, ut et nihil contrarii contineat, et clara sit, et ex diligente, atque exquisita plurimarum observationum collectione effecta, et ad eventuum explicationem, quam maxime accomodata. Pericula autem et numero plurima esse debent, et genere varia, et electione opportuna, et confectione accurata, correcta, elaborata, perfecta. Itaque generatim quatuor sedulo curare debemus, primum ut ne ab aegrorum, pharmacopolarum, aut aliorum operariorum fraude, aut ignavia decipiamur; secundo ut pericula tum ex sanis, tum ex aegrotantibus hominibus in diversis morborum generibus, et diversis cujusque morbi temporibus faciamus; tertio ut ea, quae ipsius morbi propria sunt, aut ex partium consensu, atque corporis, animique adversa actione, aut ex aliqua alia caussa, quae neque ad morbum ipsum, neque ad remedium pertinet, scilicet ex aere, ex hora diei, atque ex pluribus aliis, oriuntur, ab illis quae unice a remedii actione fiunt, secernamus; postremo ut magnam adhibeamus diligentiam, quamobrem chimicas remediorum actiones a potestatibus illis, quas *animales*, at-

que *vitales* nuncupavi, accurate distinguamus. Neque vero difficile erit primum harum facultatum genus ab altero internoscere; nam actio chimica ipsa per se nonnisi partes, quas proxime tangit, afficit; at potestas animalis in universi corporis partes permanat, ita tamen ut modo aperte aliquas deligere, atque petere appareat, modo obscure atque occulte; quorum postremum dupliciter fit, vel quod abdita prorsus ratione illas afficit, qui est earum mos, quibus vulgo *specificis* cognomen est, vel quod partem aliquam valide aggreditur, quae latius in universum corpus diffunditur, quare caeterae ab adhibito remedio effectae mutationes a praepotenti illa vi ita occulentur, ut remedium omnes aequabiliter afficere videatur. Praeterea cum ex usu alicujus remedii dissimiles effectus in diversis partibus aut functionibus existunt, ipsos neutiquam dissimilibus remedii facultatibus actutum adscribere debemus, nam plerumque vitalis remedii potestas simplicissima est, atque istae varietates ex turbata a remedio vis vitae distributione proficiscuntur. Postremo de chimica actione meminisse oportet, ipsam interdum ignavam omnino esse nisi vitae vi adjuvetur. Quibus omnibus si sedula navetur opera, atque solertia, ut par est, adhibeatur, et nimia in commentandis novis remediorum facultatibus licentia tandem aliquando fraenabitur, et ea-

rum, quae inventae demum erunt, doctrina adeo certis, firmisque fundamentis fulcietur, ut neque aetate, neque ulla unquam opinionum varietate deleatur, aut obsolescat.